1606.

Chiaberge Jos. Ign. S. J. Orationes. tertia editio.
Posnaniae. 1745. S. J.

ORATIONES
P. JOSEPHI IGNATII CHIABERGE,
SOCIETATIS JESU.

Tertia Editio.

POSNANIÆ
Typîs S.R.M. Clari Collegii Soc: JESU.
Annò Domini MDCCXLV.

CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO
ORATIO PANEGYRICA

Habita in Aula Maxima Collegii Romani Annò MDCCIII.

SI GRATULATIONIS, quàm OPTIMO PRINCIPI tot nominibus debitam solvimus, excusandam in præsentia tarditatem arbitrarer, EMINENTISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, argumenti in primis magnitudinem accusarem: proferrem deinde Romani Oratoris sententiam, negantis videlicet seram gratulationem reprehendendam videri: quòd ea minùs in adulationis suspicionem vocetur quòd verior esse, ac plenior soleat: cum è contrario laudatio præpropera spei vulgo plus, quàm rei afferat, & Virum magnum promittat potiùs, quàm exhibeat. Verùm excusatio-

ſationes iſtas à me nemo veſtrum, AUDITORES, opinor, deſiderat, quibus explorata jampridem eſt, atque perſpecta Sanctiſſimi Modeſtia Pontificis, honores, laudeſque averſantis, & generoſâ quâdam ingentis animi indole detrectantis Sed pace Tuâ dixerim, CLEMENS PONTIFEX MAXIME: Diu ſatis obſequuti Modeſtiæ Tuæ ſumus. Cedas affectibus noſtris, oportet. Noſtrum hoc obſequii, venerationis, ac ſi fas dicere, amoris qualecumque tributum tandem exoratus, accipias: neceſſe eſt. Fuerit Moderationis Tuæ, quòd tamdiu obſtiteris: ejuſdem profectò eſſe debet, quòd aliquando vincaris. Quoddam enim genus immanitatis eſſet, ſi tam grave nobis ſilentium, ac pudorem, quô ſuffundimur, juberes eſſe perpetuum. Pudet enim, quòd tamdiu paſſi fuerimus ſilere liberales Artes, hujus Romani Lycei felices incolas, quæ primum occupare debuerant gratulandi locum. Hoc unum illis erat votum: Et quidem quale optabilius, aut æquius votum? Quàm enim decebat præclariſſimas Artes, quæ Magnum Te olim Alumnum exceperant, Patronum deinde ſtudioſiſſimum, mox Principem ſenſerant, ac parentem ſuum; quæ ex incremento Dignitatis Tuæ tantam ſuæ pariter dignitati acceſſionem factam eſſe intellexerant; Quàm, inquam, decebat, ut Tibi ſtatim gratularentur ac ſibi; Æquiſſimum erat, ut qui tantoperè illas commendas, ab illis

pariter

pariter commendareris. Verùm ubi ſenſêre, tamdiù Te invitum, obluctantemque, non niſi magnâ vi, ac deprecatione multâ ad ſuſcipiendum Orbis Catholici Regimen cogi potuiſſe, nec ſatis poſt ſuſceptum Dignitati acquieſcere; ingenti ſtupore defixæ, dolorisque Tui participes, quò ſe verterent, quid conſilii caperent, ignorabant. Quid enim facerent? Gratularentur felicitati Tuæ, quam infelicitatem Tuam quodammodo interpretabaris? Dolorem acuit, qui dolenti grátulatur. Gratularentur felicitati noſtræ? Sed quæ poterat eſſe felicitas noſtra, dolente Te? Non ſecús enim ac Tu ſine nobis, ita nos ſine Te felices eſſe non poſſumus. Quid itaque reliquum erat, niſi ut erumpere geſtientem lætitiam gravi ſilentio premerent, atque ab omni gratulatione abſtinerent? Quod cum illæ facerent, jacuiſſent mœrore confectæ: niſi probè intellexiſſent, hòc Tibi chariores eſſe; quòd ſilerent. Quamquám, fidenter dicam, non omnino imperare nobis potuimus, ut ſileremus: ſed privatim, ubi dolori, & gaudio libertas, ac locus major eſt, certatim invicem gratulabamur: & domeſticos intra parietes, ubi nulla fingendi neceſſitas, ſincéró gaudió exultabamus. Quin etiam uſi, quâ licuit, opportunitate dicendi, & ſcribendi, teſtatum voluimus, quid Tibi, quid nobis deberemus. Ab hac tamen celebritate hactenùs abſtinendum putavimus: ne Tibi ingrati

essemus, ac molesti; dum grati, & officiosi esse contendimus. Nunc verò, cùm omnium consensus, & conspiratio vicit, ut par erat, Modestiam Tuam (Nequè enim omnium Gentium æquissimis votis, & gaudiis obsistere, si velis, potes; nec si possis, debes) nunc enimverò ferendum non esset, ac nemo nobis ignosceret, si nostras voces in publico isto quasi concentu desiderari pateremur. Nequè esset Clementiæ Tuæ; si quod aliis negare non potes, quod omnes etiam Te invitò, faciunt, nobis, ad quos præcipuè attinet, prohiberes. Persolvimus itaquè necessarium officii vectigal, quod si minùs Modestiæ Tuæ CLEMENS, Tuæ saltem Æquitati esse gratum debet. Gratissimum certè continget tot sapientissimis, atque omni ex parte ornatissimis Viris, quorum Ego præsentiâ cohonestotr, authoritate commoveor, expectatione ad dicendum impellor. Quâ enim sunt erga Te veneratione, studio, & amore, gaudent palàm audire, quod ipsi privatim sæpè gaudenter loquuntur. Adsum igitur, vestros omnium sensus ut explicem non falsus interpres, AUDITORES ornatissimi Dicendi argumentum à vobis, ipsa prope verba mutuabor, Mirati estis, quòd Pontificatum detrectaverit? Hoc primum. Gavisi, quòd acceperit? Hoc alterum. Gaudetis, quòd tantâ cum Dignitate, Sapientiâ, Virtute administret? Hoc tertium erit, atque præcipuum

mea

meæ Orationis caput. En igitur quibus veluti adumbratam coloribus vobis hodie propono CLEMENTIS imaginem. Magnus fuit in Pontificatu detrectando: Major in accipiendo, Maximus Est in administrando.

NOSTIS pro vestra sapientia, Auditores, quàm suaves habeat Honor illecebras, ad conciliandos sibi hominum animos, & in sui desiderium, amoremquè rapiendos. Nullum enim speciosius, nullum præstabilius inter mortalia bonum est. Sed nec mortale bonum existimaveris, quod homines ornat post funera consecrat immortalitati, Natura ipsa tacitis quibusdam igniculis, quos nobis inserit, huic ad gloriam ardori quodammodo lenocinatur. Magnum quiddam Homo est: dignitatis suæ sibi conscius altum quiddam spirat: & honorem, tanquam debitum excellenti Naturæ tributum spectat. Nec illos veteres, miror, qui Honori Templa posuerunt, Aras tanquam primario Numini erexerunt. Quanquam quid aris, quid templis opus quando huic Numini in illorum animis Heroum ambitio jam pridem aras extruxerat? Ibi humano sanguine, Provinciarum vastitate, Regnorum excidiis Idolum illud colebatur. Hinc factum, ut Philosophia illa vetus, atq; adeò vera. & Christiana Philosophia nihil majus ad hominum commendationem excogitare potuerit; quàm si quis tam forti, tam invicto esset pectore; ut Honorem contemnere auderet.

Hoc eò splendidiùs laudavit admiratrix Heroum suorum antiquitas; quò paucioribus meminit contigisse. Hoc in Clemente quàm multi, quàm veré prædicarunt? Quàm nemo hactenùs tamen laudavit satis, ac miratus est. Quantum enim, quæso. illud est, quod repudiavit? Illam nimirum Dignitatem, quæ vicariam sustinet Supremi Numinis Majestatem. Quæ vota quàmlibet ambitiosa Honor iste non implet, ac superat? Hominem, an Deum putas, quem in Aris ipsis coronandum locari, quem in Religionis quasi Domicilio, in Orbis Catholici Arce constitutum vides? Indè sacras leges Populis, & sancta jura distribuit. Si Thronum ascendat, strata humi Regum Majestas pedes deosculatur? leges audit, fulmina perhorrescit. Si jubeat, audiunt Nationes universæ, Cœlum Ipsum obsecundat, Tartara contremiscunt. Paucis accipite supremi hujus Honoris imaginem. Sublimis Tartara pedibus calcat; alterâ manu Orbem Terrarum com plectitur; alterâ Cœlum attingit, ac pro libito claudit, reseratque. Quàm magni est animi, Deus immortalis! Honorem istum obtinere cum possis, non quærere; cum merearis, non cupere; cum sponte ab omnibus deferatur, strenué, ac fortiter detrectare;

Sed erunt aliqui fortasse, qui Honorem aditu primò respuant, quasi ejus inopinatâ luce perstricti. Erunt, qui ne ambitiosi videantur, fugiant obla-

oblatum decus: sed non procul, non diu, non constanter: eatenus dumtaxat, ut famæ consulant suæ; ut præter ipsum Honorem, Modestiæ quoque laudem assequantur, qui honoris cumulus est, callidè ambitiosi, modestè superbi, superbé demissi. Clemens diu, constanterq; talem se præbuit, qualis initio visus erat. Quàm erat optandum, ut ad Religionis nostræ splendorem, ac pompam in quodam proponi potuisset universi Orbis Theatro speciosum illud, ac triumphale certamen, quod in arcanis Comitiorum penetralibus peractum est: ubi tres integros dies, non ut magnum aliquod pararetur Imperium, sed ut augustissimum in Terris imperium detrectaretur, hinc à Purpuratorum patrum senatu, indè ab unius constantia acerrimè pugnatum est & de regnandi cupiditate utrimque gloriosissimè triumphatum? Merebantur, qui deferebant, vel hôc ipsô, quod Tanto pares Imperio, in alterum transferre certarent, reluctantem cogere niterentur: perinde ac si beneficium amplissimum ipsi potiùs accipere viderentur, quàm dare Tu verò, qui à tot maximis Viris, ac mereri se, quod dabant, consciis dignissimus, atquè Optimus deligebaris, Clemens merebaris procul dubio jampridem oblatum decus. Iterùm, ac magis promeruisti, cum illud constanter adeò, ac magnificè detrectares. Sed iterum, & tunc maximè promeruisti, cum repudiatam fortiter

Dignitatem fortissimè suscepisti: ut verè tunc beneficium amplissimum non Tibi datum ab omnibus, sed à Te datum fuisse omnibus, constet.

Videas enim interdum homines, qui ab Honore capiendo refugiant, sed consçientiâ imbecillitatis, quia pares oneri splendido non sunt, aut inertiâ, quia onus horrent. Clemens verò, & onus vidit, & humeris non impar vidit, impositum ut perferret, à se ipso fortiter impetravit. Adeò ut, qui magnum se Pontificatu detrectando exhibuerat, maiorem se probaverit accipiendo. Rectè hoc, & sapienter, nec sine certo Divinæ Proüidentiæ consilio videtur comparatum esse, ut honores oneribus, onera verò honoribus temperarentur: ut honorum cupiditatem onerum molestiâ compesceret; onerum gravitatem honorum jucunditas recrearet. Utrisq; constant splendida munera, honoribus juxta, & oneribus. Hoc tamen interest, quòd honores ostentantur, onera disimulantur. Blandum quiddam, & insidiosum Honor est: non statim ostentat onera, quæ terreant, sed Dignitatem, quæ placeat. Utramque Honoris, blandi & severi; læti, & molesti, placidi foris, intûs tumultuosi faciem Clemens vidit. Detrectavit lucem, blanditias, splendorem: Onera, molestias, tumultum, & curas accepit.

Quàm est onerosum, Deus Immortalis! impossi-

impositam velut humeris ferre totius Orbis molem: Europam, Asiam, Americæ, atque Africæ remotissimas gentes Paterno sinu complecti: admittere in animum omnium curam populorum: omnium pericula, infortunia, calamitates suscipere: oblitum sui Orbi Christiano vivere: de tot Urbibus, & Nationibus, & Provinciis in vera Fide, in pace, & concordiâ continendis diu noctuquè cogitare: accipere innumerabiles undiquè Nuntios, totidemque dimittere: sollicitos dies, ac vigiles noctes pro omnium salute, ac felicitate transigere adversùs tot hæreses, superstitiones ac vitia contendere: spectaculo esse mortalibus universis, quibus rectam præbere vivendi, sentiendique normam, ac regulam tuis ipse legibus, tuis moribus debeas; Tot septa laboribus Dignitas an non meritò debebat nonnullâ honoris pompâ circumvestiri: ut honos onera vel dissimularet, vel solaretur; Si enim totam repentè se proderet curarum hæc moles; quem tantæ magnitudinis virum existimamus fore, qui suos supponere humeros vellet? Sapienter itaquè Christiana Respublica, dum dignitate gravissimâ Pontifices onerat, honores veluti quoddam pietatis tributum atque vectigal, non quidem necessarium sanctissimis Viris, æquissimum tamen, persolvendos statuit, ad laborum solatium, onerum levamen, & lenimentum curarum.

Verùm concipite animo, Auditores, Heroem ali-

aliquem, supra mortalium conditionem excelsitate ingentis animi sic evectum: ut nihil extimâ captus rerum specie, ac fulgore, Pontificiæ Dignitatis onera curas, laboresque omnes penitùs introspiciat, & immensâ quâdam mentis amplitudine complectatur: Eâ insuper sit firmitate, & constantiâ munitus, ut quantùm ad promerendos honores meriti afferat, tantùm ad eos contemnendos roboris habeat; nihil ab eorum specie, ac illecebris permoveri se, aut incitari patiatur. An eum aliquando tantam onerum molem subiturum putamus? Si faceret: quem Illum esse, quâ magnitudine animi præditum putaremus;

At Quis heros Ille, quem cogitastis: Clementem profectò, auditores, intellexistis àme sub herois istius imagine rudi adumbratum. Omnes Ille tantæ Dignitatis labores, onera, & curas capacissimæ solertiâ mentis deprehenderat. Quin usu ipso, atque experientiâ rerum Magistrâ tanti Honoris jugum, tanti servitutem Imperii, tantæ Felicitatis ærumnas satis superque didicerat Cum tm ribus PontificibusMaximis in sustinendo Ecclesiæ Orbe suppetias ferret, tunc oneris gravitatem tanti sensit. Quâ enim erat existimatione, Authoritate, Sapientiâ, atquè in consiliis capiendis dexteritate, nullus incidit nodus, ad quem solvendum, atquè enodandum quæsitus iste non fuerit Alexander. Sæpé in rebus difficillimis,

con-

consilium, sententiam, præsidium rogatus in ea penetralia introire consueverat, ubi latentes explicat, ingenteſque ingens felicitas labores, angustias, curas.

Adde novum istis pondus: perturbationes præsentium temporum, calamitates, bellorum incendia, quæ Europæ universæ imminere jam tum sentiebamus omnes, perspicacissimo Ille mentis obtutu intuebatur. Navim regendam conscendit, non cùm Cæli serenitas, ventorum favor tranquillitatem, & securitatem promitterent; sed cùm ingentes ubique attolli fluctus, sævissimas circum undique impendere tempestates videret, Quæ nunc non sine dolore cernimus, jam Ille cogitatione præverterat: Imperia se invicem collidentia; in mutuam ruentes perniciem armatos Reges, ac principes; populorum clades, Urbium solitudines, vastitates agrorum, Regnorum tumultus: Religionis neglectum, metum, pericula... Sed nolo, auditores, Europæ faciem tristissimam vestros ob oculos ponere: ne pietati, ac dolori vestro nimiùm indulgeam, Quantæ, rogo Magnitudinis fuit, sapientem animum, nullis honorum illecebris delinitum, tot, ac tanta hujus, Imperii onera planè perspecta suscipere;

Sed nondum satis de susceptis oneribus dixi, postremum addo modestæ menti longè gravissimum. Quid illud? honorem ipsum, quem tantò Clemens abhorrentis animi nisu propellere à se, ac de-

ac deprecari contenderat. Hunc ſubjiſse nònne fuitmajus, quàm repudiaſse ? Ut enim repudiares, Clemens, repellendæ Tibi erant honorum illecebræ: ut exciperes; ipſa honoris detrectatio, honore ipſo ſplendidior, veluti retractanda; atquè in Honore tàm fortiter, tàm ſapienter rejiciendo velut obſirmatus animus expugnandus Moderanda ibi honoris cupiditas: hic ſapientis animi demiſsio, ac virtutes, quæ lucem fugiunt, ſuperandæ Sapientia hortabatur, ut ſperneres, Moderatio, ut recuſares: hoc ipſum ne acciperes, Animi tui Magnitudo, Conſtantia, & Modeſtia ipſa, ſuadebant. Modeſtiam accipiendo ſuperaſti, Conſtantiam viciſti, Magnitudinem cumulaſti. Animum renuendo viceras: eumdem iterùm, jam ſui victorem, jam ſe ipſô majorem admittendo, atque impoſiti oneris triplicem quaſi molem, tribus Gentilitii ſtemmatis Montibus adumbratam, ſuſtinendo viciſti.

Dicam tamen. Auditores, quod ſentio. parùm eſſet Honorem probè cognitum detrectaſse: parùm etiam perſpectà onera ſuſcepiſſe: niſi eadem pari cum laude perferrentur. Accedat hic laudi Tuæ cumulus: Clemens pontifex Maxime. magnum te probasti honore detrectando: maiorem accipiendo: At maximum gerendo, et adminiſtrando te probas. maximum, inquam, quia Dignitati maximæ parem.

Reliqua munia, principatus, Imperia ſuos habent

habent fines, certosque magnitudinis terminos; quos mentis, ac virtutis præstantiâ transilire quodammodo, & prætergredi possis, & suscepto munere, atque honore major videri. Sed ubi ad eam Dignitatem deveneris, quæ, Vicariam Dei potestatem apud homines gerens, sublime Cœlo inserit caput, nullisque Imperium videtur limitibus definire. Huic profectò qui se administrando parem probaverit, supremum ille attigisse Magnitudinis apicem dicendus est. Qui enim major excogitari animus posit, quàm qui tantum æquaverit Dignitatis fastigium, quô majus excogitari non possit? Sed quando potestatem utramquè Principis, & Pontificis maximi Dignitas ista complectitur; Illum ego administrando parem existimandum censeo, qui omnia impleat Optimi Principis, ac Summi Pontificis munia Quæ quidem quemadmodum Clemens cumulatissimê impleat, non vobis, auditores, quibus compertissimum est, sed posteritati universæ comprobatum volo, Principis est, subditorum sibi populorum Felicitati consulere: summi Pontificis, immortali mortalium omnium Felicitati prospicere. Utrumque ita Clemens præstat, ut omnium vota spesque impleverit.

Et primò quidem publica illa Felicitas, quæ principis munus est, tribus planè conficitur: pacis tranquillitate: an non & aliarum id genus rerum copia: bonarum artium cultu. Primum enim-

enim, ut sine metu vivamus? Alterum, ut commodè: postremum, ūt honestè, ac laudabiliter, Tria hæc simul colligata, complexaquè ut felicissimê vivamus efficiunt. Quam hujus triplicis boni, & felicitatis partem nobis optandam reliquit Tanti principis Virtus, providentia, & Felicitas; Nimirùm inter circumstrepentes bellorum tumultus otio jucundissimo fruimur: Inter laborantes inopiâ populos, omnium rerum copiâ abundamus: & quæ plerisque in locis jacent Optimæ Artes, apud nos imperant, vigent, triumphant. satisne illud mirari, vel potiùs gratulari nobis possumus, quòd Europâ universâ bellorum incendiis æstuante, sola Nostri principis Ditio pacis obtinet securitatem? Ejus confinia si prætereas: latè respersos cruore campos intueris, strata passim cadavera exhorrescis: plurimis ubiquè imaginibus mortis, ac terroris occurris. Si pedem territus referas, suavissimo frueris pacis aspectu, Circumundique obstrepit armorum fragor, tubarum clangor: præliantium clamores, morientium gemitus exaudiuntur Hic silent omnia & cùm prælia, & clades nunciantur, quantùm de aliena calamitate dolere, tantùm de felicitate nostra gratulari compellimur. Quis tantam sibi tranquillitatem polliceri ausus esset, cùm atram illam, collectis undique nubibus, & prægnantem fulminibus tempestatem, Italiæ incubantem videret; hìc & illìc sævissimè detonantem audiret? Spem quidem ingentem serenitatis

fecerat exortum Clementis Sidus. Multum præsidii in Authoritate, quam illi suprema Dignitas fecerat, par Dignitati Virtus cumulaverat; multum in ejus prudentiâ, quâ rerum eventus longè prospicit, & mirâ dexteritate antevertit; multum denique in eâ, quâ est apud omnes existimatione, apud Reges, ac principes veneratione, & gratiâ, multum, inquam, in his omnibus ad tranquillitatem præsidii statuebamus. Sed cum effrenatam belli suâptè naturâ sciremus esse licentiam; sperabamus, non sine aliquo metu ne in proximo sæviens bellicus furor, & circumvolitans turbo, nos etiam abreptos in partem calamitatis involveret.

Ademisti nobis hunc metum; Princeps optime. Spes nostras cumulasti, Serenitatem pacis, tranquillitatem, securitatem tenemus. Iram belli coercet Authoritas Tua; frenos imponit licentiæ furori terminos statuit. Totâ pene bacchatur Italiâ procellosum Bellum: diras ubique tempestates, horrida parit naufragia. Sed ubi ad Ditionis Tuæ fines devenerit, Tuum quodammodò sentit Numen, tumentes fluctus confringit, littora deosculatur, atque in se revolutum, complicatumque decedit. Hanc belli metam, ac legem discordes licet invicem reges, ac principes, unanimi tamen consensu statuerunt. Eâ nimirum Magnitudinis Tuæ admiratione, Virtutis reverentiâ eorum animos occupasti, ut offensionem Tuam

quam-

quamcumquè pejorem qualibet clade arbitrentur: eâ devinxisti benevolentiâ: ut amorem Tuum omni victoria potiorem putent. Ex hac insi3ni inter se dissidientium Regum, ac principum in Te uno sincerè amando concordia, sperare in primis pacis, quâ fruimur, perpetuitatem jubemur: Tùm etiam confidimus. orituram inde Italiæ, atque Europæ universæ optatissimam pacem cui procurandæ tot curas impendis, tot preces ad Superos; tot lacrymas fundis. Sed dum illa speratur, quantæ felicitatis est, quòd nos eâ præsente lætamur? Quanta hæc principis gloria, qui nobis illam suis ipsius curis, laboribus, sumptibus comparavit?

Quis enim tranquillitatem in hác perturbatione temporum difficillimam nullo nobis statutam impendio sperasset? præsertim cum videremus, ob tutandos Imperii fines communiri arces, novos conduci milites, tot Legatos, ac Nuncios ad principes mitti, tot denique impensis à principe pacis securitatem parari? Jam sublevare de nostro Ærarii difficultatem cogitabamus omnes, nec inviti: Commune commodum scilicet privato singulorum incommodo bene redemptum arbitrati. O nos supra expectationem felices! nihil oneris impositum populo. Nemo jussus est publicam felicitatem detrimentô suô sancire. Totam hanc, quam tenemus, pacis securitatem nobis optimus princeps suis comparatam labori-

bus,

laboribûs, suîs nutritam impendiîs, liberalissimè fruendam donavit. Pacem habemus magnis sumptibus partam: nec tamen indè pauperiores sumus. Unus pauperior factus est, princeps. Sed ne ipse quidem, gratulari enim sibi jure potest suum esse, quod omnium est.

Jam quanta felicitatis nostræ pars est, quòd in hac temporum difficultate commodissimam nobis annonæ affluentiam, & rerum omnium copiam facit? Solet annona, non præsentis modò, sed etiam futuri tempois timore ingravescere; quin & alienæ, ac præsertim proximæ sterilitate regionis carior fieri, ac durior. Sed Tua, Clemens, Providentia, atquè in omnia intentus nostræ felicitatis amor, & cura maturè prædavit ne præsenti obesset futuri temporis metus; quin ut præsens copia futuri temporis metū depelleret. Nec alienis nos conflictari calamitatibus passus es: sed eam insuper omnium rerum abundantiam, & copiam suppeditasti; ut exterorum etiam penuriæ populorum solatio esse possit. Sed non modò Tuorum necessitati consulis, verùm etiam splendori Urbium, atquè ornamento.

Testes Trajani Aquæductus Centumcellis à Te, ingenti operâ, ac sumptu, priori Magnificentiæ, & commodo restituti. Quibus exultasse gaudiis Centumcellanos existimamus, cùm to repente salientes peregrinas aquas viderent, qut

læto murmure obstrepentes, eô quô poterant modô, pollicebantur illis certissimè commodius commercium, frequentiores advenas, fœcundiores hortos, uberiores opes, & confirmatam clarissimæ Urbis, ac Portûs cum dignitate felicitatem? Quàm festivis acclamationibus tanti Authores muneris salutavêret Innocentium xII, quòd strenuè inceperit, Clementem, quòd con stanter prosequutus absolverit. Uterque enim ab illis, uterque à me in hujus consortium laudis appellandus est Princeps. Neque enim verendum est, ne quod alteri adscribimus, invidere alteri videamur. Non eum habemus Principem qui suas augeri alienîs laudibûs ferat; sed qui suæ pariter laudis prædicationem oderit, & alienæ silentium damnet; hôc laudabilior, quòd suæ laudis negligens laudari alterum gaudet. Commendandus itaque Innocentius, quòd dignam Principe optimo provinciam susceperit: & licèt ille non satis ad rem perficiendam vixerit; satis tamen ad beneficii laudem vixit, quòd perfecturus, si licuisset, inceperit.

Sed indè commendabilior es, Clemens, quòd in egregiis operibus, atque immortalibus, non incipientis gloriam aucuparis; sed si quid ab aliis Principibus ad utilitatem publicam commodè atque magnificè inceptum est; in id constanter insistis: & alienam laudem negligendo non inv des, sed amando, ac promovendo Tuam, vel nolens

nolens, facis. At quàm Tibi peculiaris, in tanto persequendo, & absolvendo opere, laus celeritatis, atque Constantiæ? Jam enim laboris, ac sumptûs magnitudo in hac Ærari, ac temporum difficultate, Spes nostras, ac vota in commodius tempus distulerant. Quid à Te jam optare, quid sperare, Clemens, non licèat, si quæ nobis utilia sunt, licèt difficillima et maxima celeriùs præstas, quàm nos optare audeamus? Quam de Magnitudine Tua opinionem studiosi advenæ induent? cùm intelligent. Anno tui Pontificatus secundo, eo videlicet anno, quo tot labores, & curas complexus, jactatam bellis Europam componere, Imperii tui tranquillitatem, magnis sumptibus nullisque imperatis tributis tutari studebas impensè, hoc, inquam anno munera istaiusque ad antiquitatis invidiam magnificentiss ma, à Te liberaliter data? Sed hæc ludentis quasi Magnificentiæ, ac Populorum commodis consulentis opera sunt, Præstantiora, atque illustriora videamus

Bonas Artes videlicet, animorum decora, virtutum nutrices, Reipublicæ ornamenta, ac præsidia, Sapientiâ, Auctoritate. munificentiâ intantum promovet, auget, amplificat; ut Clementis Principatus Optimarum Artium Regnum appellari meritò posit. Quando enim illis par honos habitus? Quando major in illarum Lyceis frequentia, sedulitas, ardor ? Ut omnes, siquæ

indecorô torpebant otiô Academiæ excitantur, & alacritate novâ vigent! Ut omnium extimulatur ingeniorum vigor, solertia exacuitur, studia inflammantur! Ut denique artes præclaræ omnes spiritum, ac vitam splendoremque accepêre! sub eo videlicet Principe, qui omnes ita in Se Uno complectitur, ut ferè excellat in singulis. Testantur egregia ab eo edita Græcæ, Latinæ atque Etruscæ facundiæ monumenta. Testatur hæc Musarum Domus, Clemente, Alumno quondam suo, superba: ubi tot Ille, ac tanta præstantis ingenii documenta, & eruditionis dedit.

Lyceum istud intraturos ducemus per loca singula, quæ ingens Alumnus, atquè Hospes implevit: omnium memores, indicesquè dicemus. Hìc olim Clemens Græcæ, ac Latinæ facundiæ Tyrocinia posuit: Hìc Eloquentiæ rudimenta capessivit: Hìc Naturæ penetralia subtilissimè scrutabatur: Illic sacras literas, altissimaquè *Divinitatis* Mysteria incredibili, naturam omnem prætervolantis ingenii celeritate, assequebatur. Hìc disertissimè perorantem, hìc Philosophica, hìc Theologica arcana explicantem sapientissimè acerrimèquè propugnantem accepimus. Hîs artibûs ille utilissimè pueritiam instituit, adolescentiam constantissimè exercuit; juventutem pulcherrimè excoluit? Provectiorem ætatem copiosissimè locupletavit. O dignum hoc apice supremi honoris Principem, qui

qui nunquàm ſibi, nunquàm ſuis commodis, nunquàm cupiditatibus vixerit; ſed ætatem omnem in ſtudiis, vigiliis, curis traduxerit Quid ad conciliandum bonis Artibus amorem, & cultum excogitari præſentius, átque optabilius poſſit; quám Princeps, illis ab ineunte deditus ætate & earum beneficio ſumma omnia con ſequutus? Quis dubitet, maximi ab Illo facien dos, ei probandos præ cæteris, qui eaſdem præclaras Artes, ejus exemplo, coluerint?

Sed quos inſuper Authoritatis aculeos addit, cum Teſtis Ipſe, Ipſe æſtimator, Ipſe laudator accedit? Quos habent ſtimulos, quos animos, ac vires faciunt voces iſtæ? Sciet Clemens, æſtimabit, probabitqué. Sed non tibi ſatis, Clemens, qui non laudare tantúm bonarum Artium cultores, ſed ornare muneribus ſoles. Huc enim præcipuè Munificentiam Tuam impendis; ut præſtantiſſimas Artes ornes, augeas, ac dites. Has Magiſtratibus adminiſtrandis, fungendis Legationibus, gubernandis Provinciis deſtinas: & exturbatâ velut è ſolio Fortunâ, quæ regere, ac moderari hominum ſortes vulgò ſolet, Felicitatis quaſi arbitras eſſe bonas Artes jubes. Quàm præclarè, quàm ſplendidè, quàm fœneratum, quod ab illis acceperas, beneficium rependis? Illæ Te dignum Principatu fecerant, Tu illis Principatum donas.

Eſt itaquè cur gratulari temporibus noſtris me-

meritò debeamus: quæ nobis eum paravêre Principem, qui Felicitatem publicam in Pacis tranquillitate tutissimam, in rerum omnium copia lætissimam, in bonarum Artium cultu honestissimam, in omnium complexione cumulatissimam procreârit.

Verùm civilis ista Felicitas umbra quædam, & imago est immortalis Felicitatis, ad quam comparate nos, ac veluti manuducere Supremus Pastor, ac Pontifex debet. In hanc ergo Clemens toto pondere consiliorum, totoque nisu mentis incumbit. Huc præcipuè Summi Doctoris Sapientiam, Pastoris Optimi Vigilantiam, Sanctissimi Pontificis Authoritatem confert: ut ad Divinarum Virtutum studium, quæ sunt beatissimæ semina felicitatis, mortales omnes inflammet.

Huc illæ cohortationes pertinent, quibus reflorescere pristinam eruditorum Pontificum facundiam gratulamur. Quantam Illæ spirant, quàm solidam, nativamque Pietatem? Quæ sermonis gravitas? Quæ vis? Quæ majestas? Quàm aptè congruentibus sacrarum Literarum oraculis consertum, ac dives eloquium? Quàm instructa ad docendos, quàm efficax ad permovendos animos eloquentia? Quàm digna hæc Summi Ecclesiæ Doctoris cura?

Jam ut Pastoris Optimi, atque amantissimi omnium Parentis Vigilantiam exhibet, partesque

partésque omnes cumulatissimè implet Producerem hìc tot sanctissimas Leges, ab eo sancitas, vel confirmatas. quibus Sacris Templis reverentiam, Festis diebus cultum, rebus Divinis frequentiam restituit: Intemperantiæ modum, Licentiæ frenos imposuit: Rectæ puerorum institutioni, Judiciorum æquitati, omnium denique Ordinum integritati consuluit. Celebrarem expurgatum Prædonibus Latium. Proferrem tot circumquaque missas, plenas consilio, Pietate, & Sapientiâ Literas, quibus hìc concordiam inter Principes aluit; illic Religionis integritati consuluit, alibi resurgentis Hæreseos, & perturbatione temporis ad renovandos errores abutentis audaciam retudit. Tot Legatos recenserem ac Nuncios, qui per Orbem Universum, ad remotissimas usque Sinarum plagas, Pastoris, optimi Vigilantiam circumferunt.

Sed quid longinqua Vigilantiæ Pastoralis exempla quærimus. cùm domestica, cùm recaenti suppetant? Revocate in memoriam, Auditores tempus illud . . . Hor ret animus meminisse Sed quando secura est præteriti periculi recordatiquandoquidem, quod in nostram perniciem im, minere ivdebatur, malum in tantam publican utilitateoDei Immortalis beneficio, & Clementis Vigisantiâ conversum estt meminisse nos decet, ne feliicitatis nostræ, atque accepti beneficii videamur immemores. Revocate itaque in animum

Auditores, si tamen obliterari unquam potuit funestissima illius imago temporis, cùm Terra intestino tumultu concussa, domos nostras, quasi pondus invisum excuteret! cùm inconstans, ac fluctuans titubare experiremur sub pedibus solum: ruentibus similes nutare parietes; crepitantia tecta diffringi; suspensas ubique, ac præcipites ruinas instare? præsentem undique intentari mortem intueremur. Fugiebamus huc illuc incerti, metu exanimes, & pallida viventium simulacra. Ubique præsens periculum, præsens ruina, præsens mors occurrebat. Quid enim usquam satis tutum; ubi solum illud, quo cætera stant, ac nituntur, labat? tum verò fugam perdidit timor, fuga perfugium.

Verùm, quod communis Parens Tellus perfugium negabat, in Clemente Parente Optimo invenimus. Hujus profectò Vigilantiæ debemus, quòd tanto defuncti metu, ac periculo sumus. Quid enim omisit laboris, & curæ; ut afflictam Urbem, & consternatam erigeret; ut periculi causas, & periculum ipsum averteret? Post primam Urbis trepidationem, Orationem habit ad Sacri Collegii Purpuratos Patres, unius noctis vigiliâ elaboratam; sed eâ curâ doctrinâ, & pietate conscriptam, ut nemo illam audiret, aut legeret, quin Pastoris Summi Vigilantiam admirabilem prædicaret. Nequè hoc satis. Statim reseravit Cœlestium donorum Ærarium: ut immor-

immortalitatis arrhâ donatis non modò metus minueretur, sed mors ipsa propè esset in votis. Indixit publicas preces, supplicationes, jejunia, In singulis ferè Templis tot Pietatis exercitationes instituit, ubi certatim omnes de placandâ Numinis indignatione, dequè confirmandis adversùs pericula, mortem que ipsam animis cogitaremus. Immensæ Orationis esset, non dicam exornare dicendo, sed vel narrando persequi tot excogitatas Artes pulcherrimas, sanctissimasque; tot sapientissima opportuni ssimaquè consilia, in ea rerum perturbatione tam celeriter, tam constanter, felicier ueq suscepta.

Improvisus ingentis preiculi metus adeò occupare, ac perturbare animos solet, ut rebus gerendis, capiendisque consiliis minùs habiles, atque imparatos efficiat. Testes ipsi sumus, qui tam præsentis periculi metu perculsi, de nobis unicè servandis solliciti, non aliena tantùm, sed nostra etiam obliviscebamur. Tu interim, Sanctissime Pontifex, Tui unius oblitus, de nobis omnibus cogitabas. De omnibus verò? Quin & de singulis. Quod enim hominum genus, quæ natio, quæ tam abjecta conditio Tuæ Vigilantiæ curas effugit? Singulos hominum ordines, gradus: officia diligentissimè recensebas: pro singulorum salute, utilitate, solatio, quàmplurima opportunissimaque mandata expediebas: perinde ac si, secretô quôdam cum Divina Mente commerico,

commerico, quæ acciderunt mala, mente jampridem & cogitatione proſpexiſſes, atque olim per otium tot consliorum molem digeſſiſſes.

Quæ digna ſatìs hujus Vigilantiæ prædicatio? Quæ par illi eſſe poſſit grati animi ſignificatio? Ea videlicèt luctuoſiſſimi illius temporis calamitates in gratulationis materiem convertit: & noſtra ipſa pericula invidenda poſteris fecit. Adeò enim repentino timore excitatam Romæ Pietatem confirmavit, cumulavitque; ut nulla in poſterum felicior, ac dulcior futura ſit? quàm tanti periculi recordatio, quæ in omnium ſalutem, Paſtoris optimi curâ feliciſſimè redundavit. Enim verò quando Pietatem vidimus in hac veræ Fidei Arce glorioſiùs triumphantem? Quando tam frequens, tam aſſiduus ad Templa concurſus Quàm accuratum, quàm conſtans rerum divinarum ſtudium? Quàm, profuſa in pauperes liberalitas? Quàm denique ſingularia virtutum omnium ac præſertim difficillimarum certatim, ac palàm data ab omnibus documenta mirati, & gratulati ſumus? Quid memorem interdicta in poſterum Baccanalia, & ſcenicos ludos? Quid vana luxus ornamenta proſcripta? Quid ſancita in futurum ſacra, ſupplicationes, jejunia? ſanctiorem denique vivendi normam decretam ab omnibus, ac firmiter conſtitutam?

Non hæc Timor præſtat, quem haud ſatìs idoneum, atque diuturnum novimus officii Magiſtrum.

giſtrum. Habet ille ſatis unde gloietur, atque ſuperbiat, quòd tanti occaſio fuerit Boni: Authoris laudem præcipuam Vigilantiæ Tuæ concedit, Sanctiſſime Pontifex; ſed, & amori omnium rega Te ſincero, qui Tibi placere, Te imitari ac ſequi ſtudebat. Præibas eninm omnibus exemplo, qui omnes hortabaris verbo Vidiſti, Roma, Chriſtianæ Piotatis monumenta religioſiſſimé inviſentem: ſacros gradus Reparatoris noſtri cruore reſperſos poſitis humi genibus numerantem? ut quot pietatis oſculis Dignitatem deprimere, totidem gloriæ gtadibus videretur attolli Vidimus, non humeris hominum, non curru invectum, non equo inſidentem, ſed ægrè, propter debilitata recenti morbo crura, pedibus nitentem, moliri viam plurimo infectam luto, atque imbriferi Cœli inclementiam detecto capite diſſimulantem incedere. Ibat immiſtus circumfuſæ ſupplicantium Turbæ, ſolâ corporis proceritate ac pietate ſpectabilior: quæ quantúm ſe reliquis immiſcere ſtudebat; tant ſupra reliquos eminebat. Vidimus Apoſtolorum Principis Templum lugubri pompâ adeuntem, ubi ſacris operari tantâ cum Majeſtate, ac Religione conſuevit. Jam inter illos Urbis terrores, atque diſcrimina illacrymabatur alienis periculis. Intereà ſui ſecurus, Orbe concuſſo, rebus Divinis conſtantiſſimè inſtabat: & novus Moyſes in ſuum potiùs converti caput precabatur mala, ut eadem á Populo deprecaretur: ſeque Ipſe Summus Sacer-

Sacerdos pro Populo victimam offerebat. Hæc tanti Pontificis Pietas, Tibi, Roma, ad pietatem incitamento. ad securitatem præsidio fuit: & si tot circumjectis Oppidis, Urbibus, Provinciis ingenti clade vastatis. aut telluris haustu præcipiti absorptis, stas, Roma, soluta metu, & periculo, Pietate auctior, Clementis Pietati debes.

Sed non eam ego Pietatem tantummodò, quam eo calamitosissimo tampore, sed quam semper prætetulit, loquor, Quid enim unquam nobis Ille exequendum proposuit, quod non Ipse prior sui exempli Authoritate firmaverit, Quam legem sanxit, quin eam ipse sibi prior indixerit? Quam Virturem nobis commendatum voluit, de qua priori pse luculentissima documenta non dederit? Si Liberalitatem in pauperes, atque eos præsertim. quibus illa Terrarum clades adeò parùm pepercit, ut unâ duntaxat Vitâ superstite fortunas omnes abstulerit, eam Clemens, licèt jam penè exhausto, Ærario Principis imperaverat. Si Temperantiam, & Frugalitatem, quis eo frugalior, qui de quotidianæ mensæ sumptibus ita detraxit, ut Privatorum, ac plebejorum Civium mensas Principis mensa non vincat? Sæpè nos ad omnia Chtistianæ Pietatis officia cohortatus est. Sed ut se in omnibus præbuit exemplar, An non expiandis criminibus publicè aures præbentem; egenorum pedes Pontificiis manibûs abluentem. in Nosocomiis ægris fercula, morientibus

entibus immortalitatis pharmacum mini-ſtrantem aſpeximus?

Quis continere lacrymas potuit, cúm videret Pontificem Maximum ad Aras accedentem ;ut Optimi Fratris Filiam immortali Deo in perpetuum conſecraret? Illam, amore Tuo digniſſimam, cùm propter eximiam virtutem, & ſingulares dotes haberes chariſſimam, Clemens, Magnæ profectò Fortitudinis fuit, quòd à Te divelli permiſeris: Majoris, quòd heroicum Virginis conſilium approbaveris: Maximæ, quòd tam novo ſpectaculo interfueris. Quid, quòd eo vultu interfueris, quô genialibus nuptiis intereſſe homines ſolent? Quid etiam, quòd incruentam, ac puriſſimam Victimam Tuâ veluti manu immolaveris, Idem Ipſe Sacerdos, & penè Victima?

Hæc ſanè dum præſtas, Imaginem Pontificis Maximi exhibes, quam demirari quidem univerſa cogetur Poſteritas, utinam imitari contendat, Oneras futuros Principes, Clemens: ſed & Poſteros noſtros. Iſti enim, quòd non eadem fortaſſe præſtari videant? Illi quód eadem præſtare non ſine ingenti difficultate poſſint graviter ferent. Sed hoc utriſque ſolatium eſto: quòd meliora ſortientur tempora, quæ nec tantæ Virtutis, ac Magnitudinis Moderatorem poſtulabunt, ejuſque deſiderium faciliùs ferent. Quando enim diuturno experimento comperimus, hunc

hunc esse Divinæ in homines Providentiæ morem, ut pro ratione temzporum Orbi Catholico Moderatores sufficiat; Nostra hæc tot inter se complicatis pressa calamitatibus tempora Moderatorem planè Maximum postulabant.

Quæ Cum Ita Sint; erit ne, qui adulari me putet, cùm Eum in administrando Pontificatu Maximum appello, quem constat, ita omnia Optimi Principis, ac Summi Pontificis munia cumulatissime implere: ut Supremæ Parem Dignitati se probet? Non id à vobis, Auditores, percunctor, quorum ego novi suffragia, sensus intueor. Sed eritne alius fortasse quispiam, quem à vobis, atque à me dissensurum putemus? Erit? Est procul dubio, atqueis unus est, qui ueclamantibus cæteris omnibus Clementem Supremæ huic Dignitati administrandæ imparem putat, ac præicat. Quis Ille? Clemens Ipse: Clemens unus Clementem imparem putat, ac veris lacrymis profitetur. Laude Clemens. quamiis allentiri non posiim. Felix error, qui Te commendabiliorem nos feliciores facit Quid enim felicius nobis; quid per se præstabilius, quam Princeps, ita pario ter Magnus, ac Moderatus, qui separem probet, imparem putet? Quæ vota de felicitate nostra suscepit Optimus Princeps, & Sanctissimus Pontifex qui cum nos Pacis Tranquillitate, Rerum Omniū Copia, Bonarū Artiū Cultu felice effecerit, cum tot Sapientiæ documētis, tot Vigilantiæ conatibus

tannto

tanto Authoritatis incitamentos tam ſtudiosè, tam eſollcitè, efficaciter immortali Omnium felicitati pro ſpiciat ? adhuc tamen non ſatis, quod ſuum eſt, ſe præſtare arbitratur

Quò majores nos decet immortali Deo gratias referre: quòd talem nobis Principem, ac Summum Pontificem dederit: illudque enixis precibus flagitandum aſſiduè, ut diu ſervet, ac de noſtris etiam Ipſius annos augeat, Ipſius conſilia, & vota ſecundet, atque impleat: ut Quem Virtus Magnum In Detrectando Pontificatu, Maiorem In Accipiendo probavit; In AdminiStrando Maximum, non Virtus tantummodo, ſed Imperii diuturnitas, & cumulatiſſima, quam meretur undecumque felicitas, probent.

DIXI.

INNO-

INNOCENTII XII. PONTIFICIS MAXIMI PROVIDENTIA.

ORATIO FUNEBRIS.

RECTORES hominum nulla magìs commendat virtus, quàm Providentia. Eſt enim iſthæc Regalis planè ac divina Virtus, quæ publicæ Præſes felicitati, reliquas omnes ſibi adminiſtras habet comiteſq; virtutes: adeò ut Una hæc, Reges, ac Principes imperiô dignos, ac regimini pares oſtendat. Quamobrem Summus Pontifex, qui Vicariam in terris Dei Majeſtatem præſefert, & Catholici Orbis curam, ac regimen ſuſcipit, hâc potiſſimùm laude excellat, oportet: atquè ut parem Se tanto muneri præbeat, parem Dignitati Providentiam exhibeat, neceſſe eſt. Id unum qui faciat, Pontificem ſe verè maximum probat.

Fecit

Fecit Innocentius XII. quem in hâc funeris pompâ non tam lacrymîs prosequi debemus, quàm laudibûs. Providentiam ille, quâ nulla excogitari augustior, nulla divinior potest, in Summi Pontificatûs administratione, & Catholici Orbis regimine exhibuit: Illius videlicet Imaginem Providentiæ, quâ rerum omniū opifex Deus Orbem universum moderatur, ac regit. Hanc sibi perpetuò contemplandam, imitandamque arbitratus, id tam gloriosè ac feliciter præstitit; ut eas ipsas, in se imitando converterit, sibique peculiares effecerit, dotes, quæ Divinæ Providentiæ omninò peculiares ac propriæ, totam spirant Divinitatem, atque admirationem potiùs à nobis, quàm imitationem exposcunt. Nihil de Summo Pontifice, nihil de Innocentio prædicari majus potest. Hoc itaque Orationis meæ argumentum esto: Innocentius Duodecimus in Summi Pontificatûs Regimine Divinæ Providentiæ Imaginem absolutissimam præbuit: Cum peculiares ipsas Divinæ Providentiæ Dotes, Peculiares Providentiæ Suæ laudes effecerit.

Enimverò. Tria præsertim sibi peculiaria, ac propria vendicat Supremi Numinis Providentia. Primum, quòd ita rebus omnibus providet; ut ab iis utilitatis nihil, aut detrimenti suscipiat. Alterum, quòd ita rebus universis intendit, ac si vacet à singulis; atque ita pari-

ter intendit singulis, ac si vacet ab universis. Tertium denique, quòd præsentibus intenta in futurum prospicit, atque omnibus unà simul temporibus providet. Primum Divinæ Infinitatis est, alterum Immensitatis, postremum Æternitatis. Cùm enim Deus per se se infinitus sit omnium bonorum Oceanus, cui nihil addi possit, aut demi; ut nihil jacturæ ex perpetua in res omnes creatas derivatione bonorum, ita nihil utilitatis potest ex earum gubernatione percipere. Et cum eâ, quâ omnia implet, Immensitate, toti Mundo (ut cum Romano Philosopho loquar) insertâ, rebus omnibus totus, ac totus singulis intimè præsens, atque insertus sit; tam facilè providere omnibus, quàm singulis potest, seque non tam in magnis magnum, quàm in minimis maximum exhibere. Denique cum interminabilis vitæ totâ simul; perfectissimâque possessione perfruatur, & è quadam veluti Æternitatis suæ speculâ ætates omnes, ac tempora unico intueatur obtutu; Unus simul omnibus providere temporibus potest. Cum tam peculiares istiusmodi sint Divinæ Providentiæ dotes, cum totam spirent, atque præseferant Divinitatem. Quis unquam putasset, inveniri posse tantæ magnitudinis Virum, qui eas ipsas referre, atque æmulari contenderet: Idque ita re ipsa præstaret; ut peculiares Providentiæ suæ laudes

des efficeret? Præstitit Innocentius, qui, Divinæ veluti particeps Infinitatis, nihil sibi utilitatis, sed & detrimenti nihil ex tam diuturna Catholici Orbis gubernatione suscepit. Divinæ veluti socius Immensitatis, ita universis intendit, ac si vacârit à singulis; atque ita pariter intendit singulis, ac si vacârit ab universis. Divinæ veluti coævus Æternitati, dum præsentibus intenderet, in futurum providit, ac subsequentium sæculorum felicitati prospexit.

QUod quidem ne à me temerè dictum quis putet, singula per suas partes conficiam. Ac primum ajo, atque affirmo, nihil sibi utilitatis Innocentium ex Summi Pontificatûs vel redditibus, vel commodis, vel honoribus suscepisse: Iîs contentus opibûs, quas secum ad Principatum tulit; quas per tot regiones, cum Præfecturas, Legationes, aliaque amplissima munera obiret, circumtulit; quibus âpud Reges, ac Principes, ac Cæsarem ipsum singularem sibi existimationem, benevolentiam, venerationemq; conciliaverat; quibus demum Summi ipsius Pontificatûs apicem adeptus est: Innocentiâ, videlicet omni ex parte integerrimâ, Magnanimitate, Moderatione, Charitate, aliisque omnibus virtutum præsidiis, atque ornamentis: Hîs, inquam, opibûs abundè dives, nihil sibi ex ærario Principis, nihil ex redditi-

bus Pontificiæ Dignitatis adscivit. De suo vivere solitus, ac paternæ hæreditatis sumptibus mensas instruere: Atque ut eos ipsos privatos redditus in publicæ utilitatis tributa converteret, in quotidiana vivendi ratione eam sibi frugalitatem indixit: ut privatorum civium mensas Principis mensa non vinceret: Adeò ut nihil inter privatum interesset, ac Principem; nisi quòd moderatior Princeps, ac frugalior videretur, atque hòc major, quia melior. Cum tantâ Principis abstinentiâ moderatio in corporis cultu certabat. Moderatio dico? an potiùs, novum in Principe decus, Paupertas? Vidisses Pontificem Maximum obtritas, ac penè laceras vestes Pontificiæ Dignitatis insignibus dissimulantem: Adeò ut dum majestatem Dignitati parem præseferret exteriùs; interiùs Paupertatem foveret Dignitate ipsâ chariorem.

Noveras, sapientissime Pontifex, magnas habere opes Parsimoniam Principis, eamque perennem esse publicæ utilitatis fontem. Hinc tanta Sæculo tuo annonæ copia; ut agris ipsis fœcunditatem fons hic attulisse videretur. Uberrimam certè liberalitati, ac magnificentiæ Tuæ materiem suppeditavit. Ut minùs jam mirer tot effusas opes, quà in sublevandis pauperibus, quà in redimendis captivis, quà in remittendis oneribus, quà denique in extru-

endis

endis tot elegantiſſimis fontibus, atque erigendis tot auguſtiſſimis molibus, quæ antiquitatis memoriam revocant ſimul, obruuntque. Cùm tot largitiones, ac munera, uſque ad vetuſtatis invidiam, munificentiſſima à Te liberaliter data perpetuò contemplanda ſe objiciant; haud ſatìs ſcio, quid commendare magìs, ac demirari univerſa Poſteritas debeat? An tot molitricem operum Magnificentiam? An tot largitricem munerum Parſimoniam?

At enim. Qui nihil ſibi ex Pontificii Patrimonii Redditibus, num aliquid ex tantæ Dignitatis commodis ſibi uſurpandum putavit? Adeò ſemper negligens ſui, & patiens laboris; ut planè conſtet, ſola onera Imperii ab Eo eſſe ſuſcepta. Nunquam ſibi vacare: aſſiduam ſui copiam adeuntibus facere: ſomnos breviſſimos capere: tam denique nihil de valetudine, nihil de ſublevandis tanti muneris curis, ac laboribus cogitare; ut ex quo Principem induit, ſe hominem eſſe videretur oblitus. Nunquam tamen oblitus ſe eſſe mortalem, honeſtiſſimam illam, quæ ab honore percipitur, animi voluptatem mortis cogitatione, quodam veluti felle aſpergebat; ut ne hunc quidem utilitatis fructum, ſeu potiùs laborum ſolatium, ac lenimentum curarum ex tam onerosâ Dignitate ſuſciperet.

Documento eſt Sepulcralis Urna, quam vel

ab ipsis Imperii sui incunabulis Sibi extrui jussit: ut exuvias, non tam perituræ mortalitatis post funera conderet, quàm peremptæ cupiditatis multò ante funera tumularet. Quàm sapientis animi est, in summa fortuna mortis cogitationem, adeò fortunæ honorumque illecebris adversantem admittere? In supremo rerum humanarum fastigio, extremas conditionis humanæ vices, & fata meditari? Inter acclamationes Populorum, quibus vita nunciatur, ac diutúrna promittitur, mortem cogitatione prævertere? In eâ demùm Dignitate, quæ proximè ad Divinitatem accedit, se mortalem agnoscere; nec mortalem tantùmmodò, sed moriturum: nec moriturum duntaxat, sed jam suis cupiditatibus mortuum comprobare?

Piget hìc Imperatoris Græci meminisse, qui cœnare fictilibus, atque aureis vasis lutea immiscere consueverat: ut Se Patre figulo genitum recordaretur, quò minùs Regali Dignitate intumesceret. Quantò sapientiùs Sanctissime Pontifex, cùm nihil humile à nobilissimis Parentibus Tuis hauseris, cùm nihil non augustum, in recensendis Avorum tuorum imaginibus, ac præclarissimis gestis deprehenderes; ut animum tamen, in supremo illo Dignitatis apice moderareris, atque demitteres, in Templo totius Orbis Principe, ubi terrestre Dei solium conscendis, sepulcralem Urnam, Tuis conden-

dis

dis cineribus ſacram ſtatuiſti? Ut quoties Ædem illam auguſtiſſimam, ad obeundas Dei vices, ac divinos excipiendos honores, ingredereris, toties viſendus ocurreret tumulus, qui Te hominem eſſe admoneret, atque honorum finem, quò faciliùs contemneres, præmonſtraret? Sed non injucundum erit, opinor, Auditores, molem hanc, Sibi à munificentiſſimo Principe extructam diligenter intueri. At hoccine, Deus immortalis! Hoccine, inquàm, Summo dignū Pontifice, dignum Innocentiô Mauſoleum? Breve, atque humile ſaxum, rudi operâ levigatum, ſimplici titulo inſcriptum, nullis aſperum ſignis, nullîs ornamentîs conſpicuum! Adeò nimirùm Te ipſum neglexeras, Sanctiſſime Pontifex; ut vel ab ipſa negligi poſteritate exoptares! Intantùm honores contempſeras; ut eos etiam, qui ſequuntur funera, detrectaveris, omnes, ſi poſſes, detrectaturús. Pulchriùs fortaſſe exiſtimabas, in Poſteris tuis affinibus, quàm in lapidibus vivere.

Cùm enim Nepotes quædam ſint Avorum ſuorum Imagines, in quibus ſuperſtites vivimus; eos præcipuè curamus felices efficere, quò in illis feliciùs vivamus. Eos idcircò ſtudemus augere opibus, ornare muneribûs, inſignire titulîs: ac nobis ipſis datum, quod illis impendimus, arbitramur. Quid ergo Innocentius, cui tam uberem copiam, ad locupletandos ex-

tollendoſqve Nepotes ſuos, vel Dignitas, vel Parſimonia ſuppeditabant? Quid, inquàm, illis largiendum, aut impertiendum putavit? Citò dicam: Nihil. Videlicet non ſibi ſatìs ſui videbatur oblitus, niſi etiam ſuorum òbliviſceretur. Neminem ſibi ſanguinis affinitate conjunctum, hoc nomine, augendum cenſibus, aut Dignitatibus præficiendum exiſtimavit. Atque hòc maximè à ſe haberi ut ſuos oſtendit: quòd ita cum illis agendum putavit, ac ſecum: & qui profuſiſſimè in reliquos liberalitatem, ſeveriſſimè in Suos paupertatem exercuit. Nimirùm, ut cum ſuis duntaxat commune haberet Decus illud eximium ac ſuum; Nihil utilitatis ex tanta Dignitate ſuſcipere.

Magnum id profectò ac planè Divinum, quòd ex tantæ Dominationis opibus, commodis, honoribuſque, nihil unquam in Sui, aut Suorum derivaverit utilitatem. Sed non ſatìs divinam imitaretur Infinitatem; niſi pariter dum nihil utilitatis in ſe, ſuoſque derivat, detrimenti nihil paſſum eſſe conſtaret. Quid enim? An idèò pauperior factus eſt Innocentius, quòd Ærarium Principis in publicam utilitatem effuderit? Pauperior non eſt, qui propterea nihil habet, quòd donat omnia. Non eſt fons ullus aquarum egentior, quòd eas jugi quodam lapſu, ac celeri perennitate profundit. Nec ullâ parte luminis diminutus eſt Sol, ex

quo

quo totus explicari mortalibus cepit. Quin hòc maximè dives Innòcentius, quòd Se unum pauperem esse pàteretur, ut omnes divites faceret. Cùm enim eâ, quâ indigentes charitate complectebatur, omnium calamitates in suas converteret, sibi dabat, quòd omnibus dabat. Et cum amore illo, quô invicem redamabatur ab omnibus, Parentis amantissimi locò haberetur; gloriari meritò poterat, suas esse opes omnium, & singulorum. Quid quòd vel ipsi sapientiores veteris Philosophiæ Doctores, Eum verè divitem esse constanter statuebant, non qui haberet multa, sed qui cuperet nihil: & qui paucis contentus, paucis indigeret, eum Diis simillimum nuncupabant, cum Deos nullius rei indigentes, atque adeò *r' aōn ā gontas*, idest facillimè viventes appellare consueverint. Hòc itaque verè dives Innocentius, quòd sibi cuperet nihil: Hòc Deo simillimus, quòd quàmpaucissimis contentus facillimè viveret; quàmpaucissimis indigeret, ut omnia indigentibus daret.

Sed & hòc etiam Beatior, quò publicis curis, & laboribus gravior Se omninò negligeret, ut Se totum in commune bonum impenderet. Magno videlicet, ac sapienti Viro ex ipsis laboribus, pro publica felicitate susceptis, jucundissima quædam promanat voluptas, quæ ad novos suscipiendos labores alacriorem semper,

per, atquè in iis perferendis lætum, ac beatum facit. Hinc inexplebilis illa novi semper aliquid ad publicam utilitatem moliendi cupiditas, quâ vehementiùs in dies flagrabas, Sanctissime Pontifex: adeò ut, cum tot, ac tanta præstiteris, Unus tamen nunquam satis quod Tuum est, Te præstare arbitrareris. Testes hìc appello, vel ipsas lacrymas tuas, ac doloris voces.

Jam seniô gravis Innocentius, augustâ proceritate, ác mole corporis gravior, pedum fallente vestigio, periculoso lapsu, resupinus humi ceciderat. Eo ruente, omnium spes, & gaudia simul ruere visa sunt. Amantissimi periculo Principis mærens, & consternata metu ad Pontificias Ædes Civitas universa confluxerat. Quid intereà Innocentius? Cùm videret omnium luctum, dolorem, & lacrymas; cum populi gemitus, & suspiria exaudiret; Quid interim Ipse, qui lugebatur? An non lugeret? An non doleret casum suum, quem nemo non dolebat? An non lacrymaretur, quod omnes lacymabantur? Indoluit, lacrymatus est: sed non casum suum indoluit, non ingravescentis morbi cruciatus, non præsentissimum ipsum mortis periculum. Id omne constanter dissimulat. Sui ut solebat, securus ac negligens: omnia fortiter, atque alacriter perfert. Unum dolet, & lacrymatur. Quid

illud?

illud? Audite pulcherrimi doloris voces, & causam. Quid hactenùs, inquit, in publicam utilitatem contulimus? Quid hucusque fecimus? undè hunc casum Civitas tam graviter doleat? Hæc ille cum diceret, obortis, ac spontè fluentibus lacrymis perfundebatur. O voces! O lacrymas optimo dignas Principe, optimo dignas Pontifice, dignas Innocentio! Intantùm scilicet in sustinendis Tanti Imperii oneribus, in tot magnorum operum exantlandis laboribus delectabare, Sanctissime Pontifex; ut ad ea, quæ majora in dies moliebare, animum semper, ac vires intenderes, atque omnia simul perferre exoptares! Adeò præteritorum oblitus; ut postquàm Orbem jam universum tuîs ingentibûs factîs impleveras, postquàm remotissimas gentes Magnitudinis Tuæ admiratione conjunxeras, nihil tamen Te præstitisse existimares, idque veris lacrymis profitereris: Id unum Tibi, in tam gravi morbo, in tanto vitæ discrimine, causam doloris, & lacrymarum afferret. Hæc una scilicet doloris materies, cui una est gaudii materies, bene de omnibus promerendi labor.

Jam verò, quî in paupertate divitias, in laboribus gaudium invenit; Quid in honorum contemptu? An aliquam honorum jacturam passum esse credamus? Cùm sciamus, eam esse honoris indolem, atque naturam; ut non secus,

cùs, atque umbra, corpus, ſequentes fugiat, fugientes ſequatur? Hòc ſanè honoratior Innocentius, hòc ſummis honóribus major, quòd ſummos honóres contempſerit. Hòc Ille Auguſtior habitus, hòc Divinior; quòd in tam auguſta Dignitate, in tantâ Divinitatis ſpecie Se infra mortalem mortis cogitatione demitteret. Hòc denique toti Poſteritati commendabilior, quòd à Totâ commendari poſteritate neglexerit.

Tuam illam ſepulcralem Urnam (Præſentem enim alloqui videor Innocentium, qui omnium præſens erit memoriæ ſæculorum) Tuam, inquam, ſepulcralem Urnam, quam ideò tam exiguam conſtruxeras, ut intuentium oculos fugeret; ideò tam humilem, ut penè contemptui haberetur, demirari univerſa Poſteritas, ſuiſque laudibus in Cœlum efferre non deſinet. Jamque non Urnam vocat, ſed Arã. Videre videor Apoſtolorum Principis Templum inviſentes Advenas, nunc univerſa, nunc ſingula illius Ædis miracula, ac tot Summorum Pontificum Monumenta ſtudioſiſſimè perluſtrãtes. Quàm diſpari tamen admiratione, quàm diverſis affectibus Tuum, ac reliqua contemplantur? In illis ſumptus magnificentiam, lapidum pretium, operis elegantiam mirantur. In Tuo gloriæ contemptum, atque animi Tui Moderationem, omni magnificentiâ grandiorẽ,

omni-

omnibus pretiosiorem lapidibus laudant. Ibi Artis, hìc Virtutis miraculo stupent. In illis hærent jucundiùs; utiliùs in Tuo. Indè voluptatem hauriunt, hinc Pietatem. Illa denique mirantur, adorant Tuum. Faciet Posteritas universa: & lapidem illum Tuis sacrum exuviis si quando consumet Vetustas; nova semper in omnium mentibus cordibusque monumenta, non Tuis cineribus, sed Tuis Virtutibus sacra consurgent.

Quid denique, quòd eam ipsam, quam neglexisti, in Tuis obtines immortalitatem? Cum ne ipsis quidem conditio deterior acciderit, quòd Tuo erga illos amori nihil indulseris. Accessit enim illis hâc potissimùm causâ major quidam honor, ac reverentia. Tua hæc penè incredibilis Virtus, quæ Majorem Te, atque Admirabiliorem, Majores illos pariter, atque Admirabiliores facit. Hòc magìs honores illis deferre certamus: hòc magis mereri prædicamus, quòd eos à Te non acceperint. Hinc sapientissimô sanè consiliô, Clemens, Pontifex Maxime, Franciscum Pignatellum, Innocentii Virtutes, ac merita, non tàm sanguinis cognatione, quàm morum imitatione attingentem inter Purpuratos Patres adscribere festinasti: Id ipsum testatus, meruisse jam pridèm, qui ab Innocentio deligeretur; hòc magìs mereri, quòd ab Eo prætermissus. Cum itaque

que optimum Præſulem, plenum ſuis, & Innocentii meritis onuſtum videres; ratus nihil eſſe, quòd non mereretur; nihil omittere ſtuduiſti: quò Tuæ erga Tantum Pontificem venerationi, ac Pietati; erga illius Conſanguineū, præſtantiſſimum Virum, exiſtimationi, atque amori; quò demùm Utriuſque meritis faceres ſatìs. Idcircò vel in ipſo Tui Pontificatûs exordio, Primum omnium delegiſti: ſeorſum ab omnibus inauguraſti: Ad Eum Fratris Tui Filium miſiſti, qui Dignitatis ferret inſignia. Deniquè quod Innocentius gloriosè omiſerat, gloriosiùs impleviſti.

Tibi verò, Cardinalis ampliſſime, quantò majorem ceſſit in gloriam, quòd honeſtiſſimam Dignitatem à Clemente ſuſceperis, quam ab Innocentio merebare. Majus quiddam fuit ab Innocentio novum hoc beneficii meritum accipere, quàm beneficium. Vivet itaque in Te Domeſtici Generis Gloria Innocentius, atque eò feliciùs vivet, quò minùs videtur conſuluiſſe Felicitati Tuæ.

En itaque, Auditores, quemadmodùm Innocentius XII., qui nihil Sibi utilitatis, nihil Suis ex tanti Imperii, ac Dignitatis adminiſtratione percepit; ut nihil etiam Sibi, nihil Suis detrimenti ex tanta abſtinentiæ, ac moderationis ſeveritate ſuſceperit. Primam illam aſſequutus tàm Peculiarem Divinæ Providentiæ laudem,

laudem, quæ ſupremi Moderatoris Infinitatem arguit, ac præfert. Jam ut alteram ejuſdem Divinæ Providentiæ laudem, quam Immenſitatis ſuæ beneficio ſibi vendicat Supremus Mundi Gubernator, & Rector, quòd ita ſe totum univerſis impendat, ac ſi vacet à ſingulis; atque ita ſe totum impendat ſingulis, ac ſi vacet ab univerſis; in ſe imitando tranſcripſerit Innocentius, Sibique peculiarem effecerit, videamus.

Primum enim Quicumque ſuſceptas ab Eo curas, & res geſtas ampliſſimas æſtimando recenſeat; in eam profectò cogitationem deveniet: ita ſemper Optimum Principem, Maximumque Pontificem ſe totum publicis rebus, & communi impendiſſe felicitati; ut non modò feriari à ſingulis, ſed vel à ſeipſo vacare cogeretur. Quid enim unquam, ad felicitatem publicam, vel præparandam, vel ſanciendam pertinens, tàm fuit abditum, ut latere; tàm arduum, ut deterrere; tàm laborioſum, ut fatigare Tanti Pontificis Providentiam potuerit.

Ut prima veluti jaceret fundamenta felicitatis, abigendas primùm eſſe populi calamitates, atque ejuſdem commodis conſulendum putavit. Statim Annonæ caritatem diminuit: haud ita multò poſt ejuſdem peperit vilitatem. Vicies quinquies centena aureorum millia ex vectigalibus populo indulſit. Quin immenſâ

propè

propè vi pecuniarum in pauperes distributâ, suam Ipse vectigalem populo fecit Liberalitatem. Jam ut subditorum Sibi Populorum commodis abundè prospiceret, quàm sapienti consilio, quàm regali sumptu, novas ad Ripam Tiberis porticus, novas ædes, ad mercium asportandarum facilitatem extruxit? quò commodior ab Urbe Româ ad reliquas Principatus partes commeatus fieret, ac liberiùs ab Imperii corde reliqua membra calorem, ac spiritum, per Tiberis venas, haurirent. Quin etiam, ut remotissimas Terras toto mari divisas cum suæ Ditionis finibus, ad mutuam utilitatem, connecteret; Antii Portum non modò instauravit, amplificavitque: sed eâ insuper majestate, ac specie exornavit: ut Nationes exteras utilitate permoveat, pulchritudine alliciat, admiratione percellat. Illud verò quàm totam præseferens veterum Imperatorum magnificentiam, quòd Trajani Aquæductum vetustate jam obrutum pristinæ utilitati, ac Dignitati reddere instituit: Ut Portus celebritati, populorum commodis, agrorum fœcunditati, Regni affluentiæ consuleret! Hæc tàm illustria, aliaque id generis multa Regalis Magnificentiæ monumenta, quædam felicitatis, quàm moliebatur, initia, ac fundamenta extitere.

Noverat scilicet Sapientissimus Princeps, quòd non Philosophorum Principis tantùm, sed

omnium

omnium ſancitum eſt conſenſu ſapientium: non commodè ſolùm, atque magnificè, ſed præſertim rectè vivere, veram eſſe felicitatem: atque eam demùm felicem eſſe Rempublicam, in qua bonæ leges vigeant, boni mores colantur. Eò propterea Innocentius præcipuas Providentiæ curas convertit, ut legibus honorem, moribus adderet probitatem.

Vagabantur quodammodò in Urbe incertæ Leges, ac Magiſtratus: plurima paſſim hoſpitia, nullum uſpiam par dignitati domicilium habebant: Adeò, ut, quoties ad dirimendas lites conſùlenda erant Judicia; hùc, illùc ferri Clientes, & in Urbe Roma peregrinari oporteret, donec Innocentii Providentia ampliſſimam omnibus Curiam à fundamentis erexit: tanta operis magnificentia, ac majeſtate, ut vel ipſas Principis Ædes non æquet modò, ſed vincat. Nimirùm ut intelligerent omnes, non minorem Legibus reverentiam deberi, quàm Principi: & ſub Innocentii Regno, non tàm Principem regnare, quàm Leges.

Abundè, ac magnificè legum dignitati proviſum eſt. Nunc morum integritati providendum. Fecit vigilantiſſima Tanti Pontificis Providentia: & primò exciſîs, atque ſublatîs publicîs ſcænîs, quæ longo abuſu, tandem in corruptelas morum deſciverant, ac lenocinia vitiorum. Haud ſatìs ſcio, magiſne, ac laudabiliùs

biliùs publicæ felicitati provideris, Princeps Optime: vel cùm ad augendam legum majestatem, molem illam tam splendidè, magnificèque adornari; vel cùm ad evertendas vitiorum machinas, theatra publica everti, tàm fortiter, constanterquè imperasti. Indè intelleximus, quanto in honore à nobis habendæ essent Leges, quas tanto Ipse honore prosequebare. Hinc intelligimus, quantô à Nobis odiô habenda sint vitia, quæ tantô Ipse odiô insectaris. Quis non vidit, quàm severus peccantium animadversor futurus esses, qui vel ipsis peccandi occasionibus adeò vehementer irascebare? Quàm omninò inexorabilis adversùs sectatores vitiorum, qui nunquam exorari potuisti; ut vel ipsis parietibus, inanimis vitiorum testibus, parceres? Æquissimum utrumque, ac Tuum: & quòd nec virtutem sine præmio esse pateris, nec vitium sine supplicio

Sed quorsum tàm infestum Te pravis moribus exhibebas; nisi, ut iis depulsîs, bonos inveheres, ac foveres? Sustulisti vitiis domum, ut virtutibus dares. Occurrunt passim intuentibus ampla, & magnifica Domicilia, & Collegia, Tuis Imperiis, ac sumptibus, quà popularibûs, quà liberalibûs artibûs erecta: ut & Romana plebs, & Juventus ingenua, ab otii sinu divulsa, non artibûs tantùm Reipublicæ utilibûs, sed præcipuè moribûs optimis excoleretur.

Verùm

Verùm ex hac legum reverentia, & morum institutione, civilis quædam consurgit felicitas; quæ licèt Optimi Principis Providentiam cumulatissimè impleat; non tamen omnes explet Summi Pontificis partes, quem non Reipublicæ tantùm, sed Religionis præsertim felicitati prospicere oportet. Atquì huc semper Innocentius toto Providentiæ conatu, toto pondere consiliorum, totoque nisu mentis incubuit: ut Religionis cultum, quàm maximè intenderet, & quàm latissimè amplificaret.

Quid memorem demptas Paræciis pensiones, ut in Templorum decorem, & cultum converterentur? Quid instructas domos, atque amplissimo censu dotatas: ut rerum cœlestium meditationibûs excolerentur animi, atque ad divinarum virtutum studia inflammarentur? Quid instauratam Clericorum disciplinam, atque iis erecta, vel confirmata Seminaria: ut sacrîs ritibûs, ac sanctissimîs moribûs, Religionis magisterio, imbuerentur? Quid denique, quòd præcipuus Ipse Religionis cultor, omnes in Te uno virtutes complexus, Tuîs ipse, non tàm consiliîs, quàm moribûs, omnium mores formabas? Vita enim Principis censura est, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur; ut propè unius moribûs omnes vivamus.

Sed quô flagrabas Religionis Zelô, non satìs ducebas; si ejus cultum intenderes, nisi etiam

toto Orbe extendere nitereris. Hìc verò, quàm ingens mihi se aperit dicendi campus, si angustiæ temporis ferrent? Quam enim orationem exposcerent tot excogitata consilia, tot effusæ preces, & lacrymæ: ut dissidentes invicem Christianos Principes, optatissimæ vinculô pacis, connecteres: ut sociato fædere, adversùs Catholicæ Religionis hostes, arma converterent: iis bella gererent, veros habitura triumphos. Tot ad falsis deditas Numinibus Gentes, atq; ad incognitas Terrarum plagas, expeditiones imperatæ: ut Providentiæ Tuæ, Orbem utrumque perlustrantis beneficio, mortales omnes, si fieri posset, ad Orthodoxæ Fidei notitiam, & cultum, atque ad spem immortalis felicitatis excitarentur. Totdemùm administrata subsidia: quà Regi Hispaniarum, ut Hæreticorum in Americæ Insulas ad Religionē labefactandam irrumpētiū, impios conatus comprimeret: quà Britanniæ Regi; ut in spem restituendæ in Angliam Religionis foveres, aleres, ac sustentares. Quis non videat, Providentiam Tuam ita semper in promovenda, quà Reipublicæ, quà Religionis felicitate occupatam; ut nedum de singulis hominum rebus, sed vel de Tuis ipsis cogitare vix posses?

Sed quem ita universis intentum vidimus, ac si vacârit à singulis; nunc ita singulis intentum videbimus, ac si vacârit ab universis: adeò ut

divi-

divinæ veluti æmulus Immensitatis, ubique Se totum reddidisse præsentem videretur. Totus nimirùm, quà in pernoscendis, æstimandisque singulorum meritis, quos Reipublicæ, ac Religionis ministerio præficeret; atque in iis perpetuò regendis, ac moderandis, quos muneribus publicis, dignitatibusque præfecerat: Totus in privatorum hominum, ac præsertim egenorum repellendis calamitatibus, ac procuranda felicitate Innocentius occurret.

Sapienter docet Philosophorum Princeps, Providentiam in Summo Reipublicæ Moderatore Architectonicè, ut ait, inesse oportere: eamquè præcipuè in optimis deligendis, optimèque regendis rerum publicarum Administris consistere. Idipsum nobis contemplandum exhibet, vel ipsa Supremi Numinis Providentia, quæ non modò generales causas, ut vocant, aptissimos veluti publici boni Ministros, Elemēta, Solem, ac Stellas creavit: Verùm etiam eos perpetuò movet, ac regit; eorumquè operibus singulis Præsens, suas Ipsa manus, ac vires accommodat. Hoc idem Divinæ Providentiæ æmulator, Innocentius, sibi peculiare fecit, ac proprium.

Enimverò. Quàm singularis isthæc sapientissimæ, constantissimæq; Providentiæ Tuæ laus est, Sanctissime Pontifex, quòd optimos Tibi, Reipublicæ, ac Religionis Ministros adsciveris? Cum

Cùm enim per omnes, ac ſingulos gradus, ad ſupremum Dignitatis culmen aſcenderis: cùm Præfecturas, Provincias, Legationes, omnia deniquè unus munera obieris; noveras procul dubiò, quales, & quâ virtute præditos viros unumquodque munus expoſceret. Adeò ut árcano, ac ſingulari Divinæ illius Providentiæ conſilio, quæ Te jam pridem ad Orbis Catholici régimen, felicitatemque formabat, contigiſſe crediderim: quòd, dum ea, quæ in dies cumulabas, ampliſſima in Sèdem Apoſtolicam meritá eminentiores Dignitatis gradus Tibi certiſſimè pollicebantur, abrupto veluti honoris curſu, ad Aletinam regendam Eccleſiam, inopinatò diverteres. Ut nimirùm per omnia exercitus Chriſtianæ Reipublicæ munera, nihil diſcendum haberes tempore docendi. Et quâ eras mentis ſolertiâ, omninò pariter noveras, qui tales eſſent, quales à muneribus poſtularentur. Quin etiàm, ut ea ipſa, quam ab incunabulis hauſeras, mentis ſagacitas diuturnô experimentô acueretur; Etruſcos, Teutonas, Sarmatas Legationibus adiiſti: Teque ad omnes ferè Nationes perluſtrandas circumduxit Chriſtianæ Reipublicæ Numen: ut eorum virtutes, quos eras publicis muneribus præfecturus, viſu ipſo dignoſcere inciperes: & cum deligendi eſſent, Te ipſum adhiberes Teſtem meritorum, Tuos oculos Ipſe conſuleres, atque ab ingenti illo vacares Principa-

cipa-

cipatâs malo: necessitate credendi. Totus proptereà in recensendis, comparandisque singulorum, quæ probè noveras meritis, id unum spectans, ut Numinis Gloriæ, & Reipublicæ utilitati consuleres, adeò constanter statueras animo tuo, optimum quemque deligere; ut nunquam potueris cujusquam favore, studiis, aut precibus flecti, ut quemquam præeligeres, quem non mereri magìs existimares. Imò invictissima isthæc Providentiæ Tuæ constantia ita perspecta omnibus erat; ut nemo eos Tibi commendare auderet, quos non optimos esse constaret: Cùm scirent, neminem à Te optimum ignorari, neminem probari, nisi optimum, posse.

At enim, ubi optimos communis boni Curatores, & rerum publicarum Ministros delegeras; ideòne quiescendum Tibi aliquando, aut feriandum putabas, publicæ felicitatis securus, ac Tuæ? Non satìs quod Tuum est Te præstare arbitrabaris, nisi eos perpetuò regeres, ac moderareris, atque eorum Virtutem tuâ Ipse Virtute adjuvares. Quos consilii gravitas, ac Prudentiæ maturitas paulò tardiores faciebat, Tuâ Ipse alacritate, ac zelo incitabas. Contra verò, quos generosa quædam animi indoles, ac tuendæ Religionis, aut Justitiæ ardor paulò fervidiùs rapiebat, Tua Ipse Benignitate, & Clementiâ temperabas. Adeò non consiliorum tantummodò, sed & Virtutum tuarum partici-

pes efficiebas; ut Te quodammodò in illos infundens, Te in illis reddidisse multiplicem videreris. Illorum comitiis frequens aderas: non tam ut authoritate præesses, quàm ut præstò esses auxiliô. Aderas operibus ipsis; ut eorum laborem, ac studium, & tanquam exactor intenderes, & tanquam particeps, sociusquè relevares.

Non semel vidimus, ætate *jam* gravi, longa itinera conficientem, ut iis præesset operibus, quæ tam diversa, & tam multa, pro commodis populorum, & communi utilitate imperaverat. Ibat Pontifex Maximus, privato penè cultu, paucorum comitatu, sine pompa, sine supercilio: ac totus ad humanitatem compositus, singula inquirere, inspicere, singulos alloqui, hortari; atque ad operis celeritatem, ac studium, læto aspectu, comi sermone, & paratis muneribus excitare gaudebat, ac penè suâ Ipse operâ impellere, securus Majestatis, ac Magnitudinis suæ.

Sed qui tam sollicitam de inanimis operibus, quantò sollicitiorem Ille de nobis curam suscepit? Adeò faciles omnibus aditus, clementiam exorabilem, atque obviam præbebat humanitatem; ut unusquisque non tam Principem alloqui, quàm Parentem putaret. Singulorum calamitates, quamquàm iis miserans indoleret: tamen ut illicò sublevaret, audire gestiebat; adeò ut nemo non se singulariter diligi à Principe,

cipe, ac ſibi ſpeciatim provideri ab Innocentio arbitraretur. Non illum negotiorum quotidiana moles, non interpellantium aſſidua multitudo, non ipſa valetudinis imbecillitas, quæ ſeniô gravem, & annîs feſſum, extremîs vitæ menſibûs, afflictavit, impediebat, quò minùs, & aures patientiſſimas commodaret adeuntibus, & inſtaret, ut quæ facienda mandaverat, optatos ad exitus perducerentur. Unum dicam, omnium laude celebratum, & poſteritatis memoriæ præcipuæ meritò conſignandum.

Paucis, antequàm ſupremum diem obiret, horis libellum ſupplicem obſignavit, ac ratum eſſe juſſit, quô nummorum aureorum millia quadraginta redimendis captivis aſſignabantur. Factum benè, Sanctiſſime Pontifex, quòd vinculîs exire corporis non ante volueris, quàm tot miſerorum vincula ſolveres! Tum, credo, lætus, & alacer in libertatem beatæ immortalitatis exceſſiſti. Afferentur in Urbem aliquando, & ſpectabuntur appenſæ Tumulo Tuo, quas fregiſti, catenæ, & hæc liberalitatis Pontificiæ miracula, à Te, etiamnum ſpirante edita, in præclaris Tuis facinoribus, non ultimum obtinebunt locum. Pretioſa captivi olim ferri rubigo meliùs, ac ſplendidiùs, quàm aurei Principum torques, & gemmata ſepulcrorum ornamenta, rutilabit.

Egenos præſertim quô Providentiæ ſtudiô;

Deus

Deus immortalis! quô charitatis ardore complexus eſt! ut cognomentum illud, quod ſibi proprium Divinus Spiritus vendicat, ſibi proprium Innocentius adſcripſerit: Pater Pauperũ haberi ab omnibus, & nuncupari meruerit. Et ſanè erga orbatos parentibûs liberos, Parentem Se Innocentius optabiliorem exhibuit. Iis magnifica Hoſpitia à fundamentis extruxit, ac perpetuo cenſu ditavit: non tam ut honeſtè alerentur, quàm ut artes ſibi, ac Reipublicæ utiles diſcerent, ac præcipuè moribus optimis educarentur.

Sed parùm adhuc Tibi, egenorum Parens amantiſſime, eorum calamitates depellere; niſi etiam participes redderes, felicitatis Tuæ, ac eorum inopiam, vel ipſis divitibus faceres invidendam. In Lateranenſes Pontificias Ædes, Pauperes ſuſcepiſti: ut eos, quos Nepotum locò à Te haberi dicebas, re ipſa haberi conſtaret. Et ſanè quis tam liberalis, ac profuſus in Nepotes, ut Innocentius in Pauperes? His Palatia auguſtiſſima, cenſus ampliſſimos, ſplendidiſſima congiaria, ac regia planè munera liberaliſſimus Princeps, atque amantiſſimus Parens donavit. Quid, quòd vel ipſas Horti ſui delicias, in Pauperum alimenta convertit: adeò ut ſibi Pontificatûs labores, onera, & curas; illis fructus, emolumenta, ac delicias conceſſiſſe videretur. Licebat miſerrimo, cuique inter chari-

ores

ores Principis Nepotes adſcribi. Patebat Egenis omnibus Pontificia Domus. Adeuntibus nunquam aliàs viſa, aut cogitata Felicitas occurrebat, quæ per auguſtiſſimam illos veluti manuducens Domum, illis parata explicabat alimenta honeſtiſſima; eoſque optimarum artium, ac divinarum virtutum magiſterio inſtituendos tradebat. Nec precibus cuiquàm opus, aut lacrymis erat; ut tantæ particeps fieret felicitatis. Quin Ipſe ultrò Innocentius miſeros jubebat inquiri; & geminato beneficio, cogi imperabat, qui mallent in otio miſeri eſſe, quàm in labore felices. Quô quidem conſiliô, non Patris tantummodò curam induiſſe viſus eſt Sanctiſſimus Pontifex; ſed & Matris amorem, parvulos Suos, vel invitos, ac reſilientes, gremiô excipere, ſinu fovere, atque uberibûs enutrire geſtientis.

Illud verò quàm totum exprimit Matris amorem, quòd delicias ſuas Pauperes appellare conſueverat? Et quidem re ipſa nihil magis in deliciis habebat, quàm ſæpè illos inviſere, cum illis verſari, ac ſuis Ipſe manibus ſtipem multiplicem ſingulis elargiri. Quòd ſi amor in filios, de illis parentem perpetuò ſollicitam reddit; Magnum illum Rectorem humani Generis animum ea quotidiè fatigabat cogitatione, quid in ærumnoſorum ædibus, atque hoſpitiis deeſſet. Adeò, ut, quicumque Innocentii curas, pro miſerorum felicitate ſuſceptas, ſcorſum ab aliis audiret,

diret; in his procul dubiò totum penitùs fuisse Innocentium arbitraretur. At, qui reliquas omnes recensere, ac secum æstimare instituerit, Divinæ quadam Immensitatis specie, totum in omnibus pariter, ac totum in singulis Innocentium deprehendet: & laudem illam Innocentii propriam, atque illi peculiarem fatebitur, quam in Deo demirari, ac de Deo prædicare, consuevimus: quòd nimirùm in magnis Se verè magnum, in minimis verè maximum comprobârit.

Divinum profectò, ac Tuum, Sanctissime Pontifex, quòd nihil Tibi utilitatis, aut detrimenti in Summi Pontificatûs administratione susceperis. Diviniùs, quòd ita Te totum universis impenderis, ac si vacâris à singulis; atque ita Te pariter totum impenderis singulis, ac si vacâris ab Universis. Illud verò divinissimum, quòd præsentibus intentus, in futurum provideris, ac partæ felicitatis perpetuitati prospexeris.

Magnus Ille æmulator Divinitatis animus, dum totus vacare præsentibus videbatur; totus in eo erat, ut posteritati universæ consuleret. Hinc tot, ac tanta, quæ publicæ felicitati molitus est, opera ea soliditate construxit; ut facilè intuentibus constet, æternitati facta, æternitatem esse æquatura. Tot Sanctissimas Leges, quas, ad stabiliendam Christianam Rempubli-

publicam, ſapientiſſimè condidit, in Volumen referendas curavit, quod rectiſſimam, atque perpetuam optimè conſtitutæ Reipublicæ normam, ac regulam meritò dixeris. Quia verò nihil erat illi antiquiùs Religione, cui ſuas omnes curas, cogitationeſque devoverat, non ſolùm illi ſtabiliendæ in Europâ, & promovendæ ſtuduit, inſtituendis, fovendiſque tot ſacris expeditionibus, quarum uni cuipiam aliquando quinquaginta millia nummûm attribuit; verùm etiam ad remotiſſimas Gentes, nondum Evangelii luce colluſtratas, in perpetuum proferendæ.

Laudabat, ac meritò quidem, Superiorum Pontificum pietatem, & diligentiam, à quibus conſtitutum fuerat peregrinarum illud Miſſionum Seminarium; illa Congregatio clariſſima, propagandæ Fidei addicta, illud ærarium, unde opes Evangelicæ, in ultimos Orbis terrarum fines, continuò ſparguntur. Sed ut plantæ feraces ex hoc Seminario, ad inſerendam barbaris mentibus Fidem, prodirent; videbat, eſſe aureo rigandum continenter imbre. Humanîs egere ſubſidiîs intelligebat Fidei Propagatores, qui toti ſunt in rebus Divinis populo communicandis: ærarium, niſi benè fundatum, minui tandem, & velut Aquas, non ex perenni fonte ductas, exareſcere. Quid egit Providentiſſimus Pontifex, ut his incommodis occurreret? Ut huic nobi-

nobilissimo Religionis Seminario perpetua constaret fertilitas; ut huic ærario perennis, divesque fundus suppeteret; ut nunquam Religioni Propagatores, Propagatoribus necessaria præsidia deessent? Constituit centum aureorum millia, ut ex ejus pecuniæ, sortisque vectigalibus annuis plùs, quàm triginta Evangelii Præcones, in Regionibus Orienti Soli subjectis, in perpetuum alerentur.

Consultum quidem, Sanctissime Pontifex, perpetuæ Religionis felicitati, & gloriæ, hôc factô voluisti: at simul gloriæ Tuæ perennitati, quod minimè spectabas, consuluisti. Quot Æthnicos Illi Operarii Apostolici, ad Catholicam Fidem adducent, tot liberalitati Tuæ titulos, ac merita adjicient. Horum Evangelii Ministrorum manibus, Gentes sacro lustrabis fonte; illorum docebis ore, illorum laboribus perfrueris. Hæc Templa, quæ surgent verò dicata Numini, Te Conditorem; Hæc Delubra, quæ superstitioni eripientur, Te Eversorem loquentur. Hi pueri. qui Fidei rudimentis imbuentur, Tibi vitam sanctiorem acceptam ferent. Teque publicum Parentem experientur. Crescent de Tuo, qui crescent Ecclesiæ; ac Tuîs beneficiîs, ad augendam Sanctæ Matris Sobolem proficient: tantùmque omnes Uni Tibi; quantùm egregiis illis Institutoribus suis, ac Magistris, debebunt.

Sed

Sed non satìs posteritatis felicitati consultum putavit, si optimas in posterùm leges, earumque propagatores decerneret; nisi etiam optimos Christianæ Reipublicæ Administros in perpetuum provideret. Quod quidem quàm singularis Providentiæ consilio præstiterit, mecum ipsi Auditores, cognoscite.

Quædam pretiô emebantur, quæ ad Principatum pertinent, munera, atque ad ampliores Dignitates spem adeuntium fovebant. Moré istum invexerat ingens ærarii difficultas, & sapientis quædam ratio consilii, id minimè iniquum existimantis. quòd cum honor splendidior multò, ac pretiosior sit opibûs; istarum aliquid in commune conferret, qui supra communem hominum conditionem, assurgere honoribûs vellet: atque ærarium Principis sublevaret, qui à Dignitate Principis elevaretur. Illud verò maximè cavebatur: ne ab ullo pretium caperetur, nisi qui, vel sine pretio, honoris, quem petebat, dignus, & ad eum, quem sperabat, idoneus censeretur. Quare hujusmodi initiis ad amplissimas postmodùm provecti sunt dignitates præclarissimi Viri, qui mirum in modum Christianam Rempublicam, Doctrinæ, Prudentiæ, ac Sanctimoniæ splendoribus illustravêre.

Sed morem istum torvîs, pravîsque oculîs intuentes, Catholicæ Fidei hostes, in omnem car-

pendi

pendi occasionem intenti, opportunum censuerunt conviciis locum: adeò, ut, quemadmodùm ineptæ antiquitatis temeritas, os suum in Cœlum attollens, monstra Cœlo affigere, non dubitavit: haud secùs impiorum insana temeritas, os pariter suum in Ecclesiæ Cœlum attollens, avaritiæ, atque ambitûs monstra eidem appingere, non vereretur. Verùm non secùs, ac Cœlum, securum splendoris, ac pulchritudinis suæ, cæcam obtrectatorum audaciam, nunquam suis puniendam fulminibus, aut coërcendam putavit; haud aliter iniquissimas in Ecclesiam Catholicam voces, ab impiorum hominum temeritate prolatas, nemo sapiens non contemnendas, ac ridendas arbitrabatur.

Illud (haud equidem inficiar) illud, inquàm, videbatur incommodi; quòd periculum erat, ne interdum æquè digni, quòd non æquè divites essent, retardarentur: nec satis liberum Principi esset, inter æquales decernere, ubi, qui par erat merito, potior beneficio duceretur. Deinde ignaræ plebi suspiciosa, licèt immeritò, ea consuetudo accidebat. Atqui è Republica esse censebatur, si qui muneribus præficiebantur, non solùm optimi essent, sed & ab iis, qui regendi erant, optimi sine suspicione haberentur. Hinc priores Pontifices eum morem abolere exoptabant. Sed consilii, vel novitate, vel magnitudine, vel restituendarum vi pecuniarum

deter-

deterriti, irritô negotiô, desistere cogebantur. Unus tandem sapientissimè pariter, & constantissimè id præstitit, Innocentius.

Qui Romæ stupor, cum videret una die, sexcenta supra decies centena, & viginti sex aureorum millia, iis, qui solverant, reddi! Qui hominum sensus? cum legem illam ferret Innocentius, quâ officiorum, ut ejus verbis utar, *venalitatem*, in perpetuùm suppressit, abolevit, extinxit? *Mandantes* (Audite Sanctissimi Legislatoris verba sapientissima) *mandantes, ut ejusmodi officia in posterùm viris, vitæ, & morum integritate præstantibus, literarum scientiâ præditis, rerumque humanarum experientiâ insignibus, ad majorem Dei Gloriam, Romanæ Curiæ decorem, necnon virtutis incitamentum, & præmium, gratìs, & nullô receptô pretiô concedantur.* Ut omnes invicem gratulabantur, vel ab una hac lege sancitam in perpetuùm Reipublicæ felicitatem! Cum intelligerent omnes, Ministros optimos ejusdem Regimini præfuturos. Non enim nisi optimos ad eas dignitates promoveri necesse est, ad quas Virtuti tantùmmodò, & meritis aditus patet.

Quin hâc ipsâ lege; non optimos tantùm Ministros providisti, Sanctissime Pontifex, sed eos etiam, qui Te sequentur, Pontifices Maximos, quos verè optimos fore intelligimus: cum ex optimis constet, & ab optimis esse eligen-

gendos. Quamquàm, ut optimos in perpetuùm esse statueret Summos Christianæ Reipublicæ Moderatores; singularî, divinissimôque consiliô Innocentii Providentia prospexit. Illam, quam mente conceperat, animo infixerat, gestis expresserat, Summi Pontificis verè optimi Ideam, Se, ac sua negligentis, ut Se totum, suaquè omnia in publicam felicitatem impenderet. Hanc, inquàm, Ideam augustissimam, ac planè divinam derivare, atquè infundere in Successores Pontifices voluit. Audite itaquè, quid consilii excogitârit, susceperit, atque compleverit.

Communis ferè, aliquot jam sæculîs tradita, apud Summos Pontifices consuetudo invaluerat, ex iis, qui ad Principatum pertinent, redditibus, atquè muneribus partem aliquam, sibi sanguinis affinitate conjunctis, erogandi. Quod quidém, & ad splendorem Principatûs pertinere, & consanguineorum conditionem decere, integerrimi, sapientissimiquè Pontifices non immeritò arbitrabantur. Propiores præsertim, qui longè præ cæteris esse solent, ac debent de Principis, atquè Imperii felicitate solliciti, ut in consortium curarum, ita & in partem reddituum suscipiebantur. Non secùs ac Sol, Orbi universo illustrando, ac fovendo præfectus, Planetas suos in tanti muneris partem admittit; & quò propiores sunt; eò majo-

majorem illis non lucem modò, ſed & calorem impertit.

Adhuc tamen Innocentii Providentia, non in ſui tantùm, ſed in ſubſequentium etiam ſæculorum felicitatem perpetuò vigilans, atquè intenta, præſtantiorem multò, utilioremquè Reipublicæ morem Sibi, ac Succeſſoribus ſuis in perpetuùm ſequendum, ſtatuendumq; decrevit. Tanti eſſe publicam felicitatem putavit; ut vel ipſius Principis, & conſanguineorum impendiô ſanciri poſſet, ac mereretur. Nihil optabiliùs fore exiſtimavit, quàm ſi omnes, qui circa Principem ſunt, eodem animô quô Princeps Ipſe, ſe, ac ſua publicæ utilitati devoverent. Igitur Sanctiſſimus Pontifex, qui legem putabat, optimum ſequi: ne quid unquàm populis ſupereſſet optandum; abire in debitum voluit, quod vix eſſe poterat, Votum. Legem tulit, quâ illud ſummatim cavit: ne quid in poſterum Romani Pontifices conſanguineis ſuis, quòd Sui ſint, ex Ærario Principis, aut publicis muneribus tribuant, nihilq; in illos impendant, niſi quod ſincerè probatis Ipſorum, non ſecùs ac cæterorum, meritis, ad exactiſſimam Juſtitiæ normam, ac Regulam debeatur. Et convocato purpuratorum Patrum Senatu, omnes, ac ſingulos eò adduxit; ut Sacramentô ſe adſtringerent, legem iſtam, ubi ad ipſos pertinuerit, Se in perpetuùm ſervaturos.

Et quidem, quòd verbô spoponderant, re ipsa præstari, Ipse de Cœlo, ad felicitatis Tuæ cumulum, vides Beatissime Pontifex. Ingens Successorem Tuum numerus Consanguineorum circumstat, quorum Virtutes, ac Dotes ita perspectæ omnibus sunt; ut omnium in Se admirationem, amorémquè converterint: adeò, ut nemo sit, qui non Illis parem conditioni fortunam precetur, ac voveat. Principis amorem præsertim sibi peculiaritèr merentur, ac vendicant: cùm omnibus una mens, unus animus sit: Illius virtutes imitari; & qui propiores sunt, hoc uno ex capite dignoscantur, quòd Illum propiùs imitentur, ac referant. Quamobrem illos ames, necesse est, Clemens, Pontifex Maxime. Atquì id ipsum profitebare, cum se Tibi inclinantem supremæ Dignitatis apicem, omni ope detrectare contenderes. Ut universum purpuratorum Patrum Senatum, in Te uno deligendo, unanimi consensu, obfirmatum, à suscepto consilio amoveres, inter alios, quos movisti lapides, hoc etiam non semel objeceras: multos Tibi esse Consanguineos, quos amabas.

Nunc verò amori Tuo nihil indulgendum, promissi memor, putas: atquè Unus documento es; in eo, qui possit beneficia conferre, posse ab amore beneficia sejungi; multumquè discriminis esse, inter velle bonum, & facere.

Con-

Constantèr statuisti, quod olim promiseras, Princeps, implere. In Tui, ac Tuorum favorem, ea Tibi licere non putas, quæ in omnium favorem, Tibi licere, fatearis necesse est, Dignitatis Tuæ conscius, ac Potestatis. Supremus Ipse in Terris Legislator Innocentii legem revereris: Eidem par dignitate Successor obtemperas. Octavum jam annum Consanguineos Tuos supra privatorum conditionem extulit Dignitas Tua: adhuc Eos privatorum census, atque insignia circumstant. Tuarum hactenùs nonnisi curarum participes, vel in literaria palestrâ, vel in forensi, vel etiam in bellicâ exerceri pateris, atquè insudare. Multarum vigiliarum, laborum, ac periculorum fructum esse jubes, quæ Illorum sponte sequi conditionem fas esset: atquè ad ea gradatim ascendere cogis, ad quæ statim eos advolare, fortuna Tua aspirante, optabamus. Omnia cum Tuis, uti cum reliquis, Virtutis lance metiris. Unum interest, quòd Tuos diutiùs, ac severiùs, an mereantur, probas: & per eum callem, qui unus, Te Principe, ad Dignitates ducit, ut Tui à Te alacriùs incitantur; ita tardiùs promoventur.

Illi interim amore tuo læti, gaudentesquè, nihil nisi gaudium ex Principatù Tuo decerpere, moram istam tam æquô animô ferunt; ut difficile dictu sit, utrùm majus censeri Vir-

tutis miraculum debeat: vel quòd Tuum Ipse amorem, tanta cum severitate conjungis; vel quòd sua Ipsi merita, tanta cum Moderatione componunt. Quos esse arbitramur Innocentii sensus, Te, ac Tuos de Cœlo spectantis? Ut mirum in modum Tuô erga suam legem obsequiô delectatur; ita à Te sæculô Tuô, Tuoquè ab exemplo confirmatam in perpetuùm ejusdem legis observantiam, lætatur.

Immutabiles omninò sunt Divinæ Providentiæ leges: adeò ut iisdem semper motibus Cœlestes Orbes circumagi, iisdem circumscribi finibus maria, ac vel ab ipsa temporum instabilitate, suam perpetuò videamus stabilitatem, ordinemquè servari. Hanc Tibi laudem mereris, Beatissime Pontifex. Qui Divinæ Providentiæ consilia tam sedulò imitari studuisti, dignus es, qui ejusdem pariter felicitatem consequare. In perpetuùm vigebunt sanctissimæ Leges, quas ad perpetuam Catholici Orbis felicitatem, tam providè, sapienterquè sanxisti. Perpetuus illis erit honor, & cultus: Atquè earum beneficio Christiana Respublica Ministrîs optimîs, Summîs Moderatoribûs Optimîs, ad felicitatis suæ perpetuitatem, fruetur.

Intelligat itaquè Universa Posteritas, quantùm Innocentio debeat, qui tam Divinam Providentiæ normam, ac Regiminis Ideam invenit, suisque Successoribus imitándam proposuit:

posuit: Ut Divinæ quodammodò particeps Infinitatis, nihil Sibi, vel utilitatis, vel detrimenti ex Summi Pontificatus administratione susceperit: Divinæ veluti socius Immensitatis, ita universis intenderit, ac si vacârit, à singulis: atque ita paritèr intenderit singulis, ac si vacârit ab universis: Divinæ deniquè veluti coævus Æternitati, dum præsentibus intenderet, in futurum prospexerit, & subsequentium sæculorum felicitati providerit. Adeò, ut absolutissimam Divinæ Providentiæ Imaginem, in Summi Pontificatus administratione exhibuerit. Cùm peculiares ipsas Divinæ Providentiæ Dotes, peculiares Providentiæ Suæ laudes effecerit.

D I X I.

GREGORIUS XIII.
PONTIFEX MAXIMUS
SÆCULORUM FELICITAS.
ORATIO FUNEBRIS ANNIVERSARIA,
Habita in Aula maxima Collegii Romani Annô SÆCULARI MDCC.

INstituerunt ſapienter Majores noſtri; ut Gregorio XIII. ſolemne penderemus quotannis laudum vectigal, perpetuùm grati animi monumentum, Eminentiſſimi Eccleſiæ Principes: Ut quandò Pontifici, de Nobis optimè merito, pares referre grates non poſſumus; eô ſaltèm, quô poſſumus modô, & quamdiù poſſumus, referamus. Quòd ſi omnes in poſterum anni tributum hoc laudis perſolvere Pontifici, vel de omni Poſteritate optimè merito debent; ſæcularis hic potiſſimùm

annus,

annus, qui duorum tangit confinia sæculorum, exeuntis videlicet, ac ineuntis, præcipuô quodam jure, sacer esse Gregorii laudibus debet. Quàm enim decet; ut in hoc Romano Lyceo, ubi, Tanti Principis beneficiô, bonîs erudiuntur artibûs, moribûs optimîs imbuuntur sæcula, quàm, inquàm, decet; ut, cùm eadem incipiunt, aut desinunt, ejus Nomen, laudesquè prædicent, cujus Liberalitati, ac Magnificentiæ acceptum ferunt, quod iis erudiri, atquè imbui possint? Assuescant Sæcula, dum velut è cunis prodeunt, balbutire ut possunt Gregorii Nomen: jam tum incipiant, primulîs vocibûs optimum Parentem salutare: Cùm verò ad interitum vergunt; eam, quâ frui licuit, felicitatem in Eum referant, qui non sui tantùm sæculi, sed subsequentium omnium felicitati prospexit: Ut Sæculorum dici Felicitas jure possit.

Consueveras olim, Roma, cùm Imperatores tuos, (quibus adulari, aut proderat ad felicitatem, aut oportebat ad salutem) celebrare præconiô illustri, & præclarô insignire cognomentô velles: Consueveras, inquàm, illorum inscribere Numismatîs: Sæculi Felicitas. Moderatiùs quidem istud, quàm cum eos in numerum Deorum transcriberes, divinîsquè honoribûs coleres, quos commune mortalibus fatum intra hominis conditionem incluserat,

vel

vel communia ferè illis Principibus vitia infra hominis conditionem dejecerant. Fuerit illud adulantis delirium, vel quædam obſequii erga bonos Principes Intemperantia, quod amor virtutis, aut crudelitatis metus expreſſerit. Cõſtat illud quidem certè, nullum Principi nomen aptius, nullum auguſtius inveniri poſſe, quàm ſi Felicitas ſui Sæculi appelletur. Re ipsâ enim hoc habent Principes commune cum Deo, quòd felicitatem hominibus impertiantur: quod cùm faciunt, Populorum Felicitas appellari meritò poſſunt. Verùm ne adulari ego ipſe videar: Magnificentiùs longè, quàm veriùs optimus quiſquè Imperator Sæculi dicebatur Felicitas, cujus Imperium, & modicis definitum Terræ limitibûs, & anguſtô temporis ſpatiô claudebatur. Nunc enimverò, quòd eos Divinitùs ſortita es Principes, Roma, qui Terras, & Maria; Cœlumquè ipſum dominationis quadam amplitudine complectuntur, quiquè ad eam nati ſunt felicitatem hominibus procurandam, quæ nullîs unquàm definiri ſæculîs poteſt; Ii profectò, ſi Se tanti capaces Imperii, tantæquè felicitatis opifices præbeant; digni ſunt, qui citra aſſentationem omnem, non unius tantùm ſæculi, ſed Sæculorum Felicitas prædicentur.

Cognomentum hoc auguſtiſſimum, & planè Divinum peculiari quodam ſibi jure vendicat Grego-

Gregorius Boncompagnus Pontifex Maximus, ejus nuncupationis Tertius Decimus: qui eò semper omnem operam suam, ac studium, cogitationesquè omnes intendit; ut omne Felicitatis genus, omni Mortalium generi, omnibus in posterum Sæculis compararet. Argumentum dicendi amplum, ut videtis, dignum hôc tempore, dignum locô, dignum Româ dignum Gregoriô: de quo nisi apud Sapientes dicerem, verendum mihi esset, ne plùs admirationis habiturum esset, quàm fidei. Sed & apud eos loquor, quibus exploratæ penitùs sunt res ab eo gestæ immortales, amplissimæquè: & in eo versamur loco, in quo Parietes ipsi, Tanti Pontificis monumenta, Posteritatis felicitati sacra, disertis coloribus exprimentes, locupletissimi aderunt Testes, quàm jure à Nobis Sæculorum Felicitas appelletur.

QUam felix est Populorum conditio, cùm ejusmodi nacti sunt Principem, qui certum id, ac propositum habeat, populisquè palam denunciet, nec verbo tantùm, sed re ostendat, ad publicam Se felicitatem natum, ad id supra cæteros evectum, & in solio collocatum esse: non secùs ac sidera, quæ ut Terris luceant, insident Cœlo! Eô primùm die, quô Gregorium ad Orbis Catholici regimen omnia publicæ felicitatis delegerunt Vota, primam hanc, dignam Principe, dignam Pontifice, di-

gnam

gnam Gregoriô vocem edidit: Se in omnibus aliud nihil, quàm felicitatem publicam spectaturum. O vocem beatissimam, quæ felicitatem Populis futuram nunciavit, futuri Principatûs ideam haud obscurè adumbravit, & imaginem verissimam, Divinamquè proposuit! dubitavit nemo de Felicitate illa, quam is promitteret, Princeps quem certò scirent, ea quæ diceret, velle; quæ vellet, posse. Immò verò præsentem illicò felicitatem omnes invicèm gratulabundi sensêre. Incipit enim felix esse, qui brevì se futurum putat. Nec verò mutuas Populorum gratulationes perturbare potuerunt, occursantes ubiquè Terrarum, calamitates innumeræ. Cùm intelligerent omnes, Magno Pontificis animo obices istos, non impedimentum ad maxima, quæ meditabatur, consilia; sed incitamentum esse allaturos: Et quò gravioribus cum difficultatibus confligandum foret, quò major vis malorum urgeret; eò majorem Tanti Viri laudibus, virtutibusquè materiem præberi, amplioremque se se aperire campum, ad uberiorem bonorum segetem colligendam. Et sanè quoties illorum caliginem temporum cum ea comparo serenitate, ac luce, quæ Gregoriô imperante, Orbi Terrarum affulsit; toties ea subit animum cogitatio: Arcanâ quâdam destinatione Superûm, idcircò tunc temporis ademptam veluti felicitatem; ut

eam

eam Gregorius, ingenti cum fœnore, omnibus in posterum sæculis redintegraret. Quod quidem ut liquidò constet; revocate in animum, Auditores, Duplex esse Felicitatis genus. Alteram Civilem dixerim, & Humanam; Sacram alteram, atquè Divinam. Utramquè Gregorius, totô penè terrarum Orbe prostratam erexit, erectam amplificavit; amplificatam firmavit.

Et Primò quidem Civilem Felicitatem tribus confici existimo: Pacis Tranquillitate, Opulentiâ Civium, Bonarum Artium cultu. Hæc enim ubi unâ consenserint, ibi existit otium cum dignitate, quô nihil unquam feliciùs Reipublicæ ne fingi quidem à sapientibus potuit.

Tibi gratulor, Felicissime Pontifex (præsentem enim alloqui videor, qui omnium præsens erit memoriæ sæculorum) Tibi, inquàm, gratulor, quòd incideris in plena calamitatibus tempora: Ut inde innotesceret magis Tuæ Virtutis amplitudo, nostræ Felicitatis cura. Circumspice Orbem, tuo subjectum imperio: Occurret ubiq; vel amissæ desiderium, vel amittendæ metus felicitatis. Quid, quòd ne ipsam quidem usquam reperies umbram felicitatis, & initium? Cùm enim Tranquillitas reliquorum sit creatrix, & nutrix bonorum; omnia cernes ubiquè Bellorum, seditionumquè, vel tumultibus, vel suspicionibus perturbata. Aspice Hispania-

ſpaniam Belgicîs turbîs incertam; Luſitaniam clade Principis inflammatam: Poloniam de novo Rege ſollicitam, & in partes Religionis causâ diſtractam. Aſpice Angliam, ob Reginæ ſcelus, in bonos furentem; Germaniam novîs in dies tumultibûs, acribûſquè Hæriticorum odiîs convulſam; Galliam diſcordem, & utriquè pariter timentem, Regno, & Religioni. Ipſam deniquè aſpice Religionis ſedem, Italiam, quà Principum factionibûs, quà ſuſpicionibûs, nec Sibi ſatis, nec Romano Pontifici fidentem. O temporum perturbationem triſtiſſimam! Quis in his diſſidiis, erroribus, miſeriis aliquem felicitati revocandæ locum eſſe putet? Quem non oppreſſiſſet hæc rerum moles, quæ Gregorii animum, omnibûs difficultatibûs celſiorem erexit?

Tam infelicium temporum conditionem ſibi Gregorius felicitati vertit: quòd indè Populos facere feliciores poſſet, veteris comparatione calamitatis. In ſpem itaquè præſentioris felicitatis aſſurgens, quod voce illa, divinô planè inſtinctu prolatâ, ſpoponderat, omnes eò curas, cogitationeſque convertit, ut Orbi Catholico Tranquillitatem ubiquè tutiſſimam compararet. Jam Oratoribûs ſapientiſſimîs ad Principes miſsîs, jam plenîs ſapientiâ, & benevolentiâ literîs; modò Authoritate, modò conſiliô uſus, tot ubiquè Terrarum perturbationes

compo

composuit tandem. Immòverò composuit statim. Statim Melitensium Equitum acies, fraterna mox ruituras in vulnera, ad Pacis fœdera revocavit. Statim civilia Ligurum incendia, nec suis obruenda fluctibus, Pacis aurâ restinxit. Statim Polonum cum Sveco, cum Moscho Germanum, datis in fœdera dextris, conciliavit. Statim... Sed quid in immensum excurro per singula? Statim omnes armorum motus, furoresquè compescuit, omniumquè animos ad publicam tranquillitatem inflexit.

Quid hìc priùs, Gregori, quid in Te potissimùm mirer? Eamne Divinam planè Sapientiã, quæ involutas adeò rerum ambages explicavit; quæ tot Principum animos ad concordiam inclinavit, è bello ad pacem, è tumultu ad otium traduxit? An celeritatem, quâ tot procellas ita repentè sedâsti; ut improvisa quies memoriam pristinæ tempestatis propè obliteraret? Illamne potiùs mirer amplitudinem mentis, quæ res innumeras, gravissimasquè complexa, non modò nullis premi angustiis potuit; sed ne occupari quidem: Adeò ut, cum de Orbis universi tranquillitate cogitares, nihil de mentis tranquillitate, ac pace deperderes; privatorum intereà causis, atquè emolumentis incumberes; & qui tantus in maximis eras, totus esse in minimis videreris? Immòverò perinde ac si tantæ magnitudinem mentis jam non caperet Orbis Terra-

Terrarum; alios sibi quærens Orbes, in Cœlum usquè se contulit: & exortam ibi quandam veluti seditionem astrorum, & perturbationem temporum stabili lege composuit.

Macte his animis, Gregori, & quam cœpisti mortalibus parere felicitatē, absolve. Magnum est, ac Divinum, quòd Tranquillitatem Orbi Catholico comparaveris: quòd Cœlo, & Sæculis suam etiam tranquillitatem, & ordinem restitueris. Sed non adhuc factum est satis. Populorum votis, Sæculorum Felicitati, Tuæquè vel Virtuti, vel gloriæ. Partô feliciter otiô, nunc Tibi de dignitate ipsa cogitandum est: augendæ opes: sublevandæ pauperum calamitates: consulendum Reipublicæ cōmodis: revocandus bonarum artium cultus; ut Orbis Terrarum eâ, cujus Author es, tranquillitate honestè frui, ac suaviter possit.

Non meas, non Populorum preces expectat ejus Liberalitas Principis, quæ omnium prævertit vota. Vix electum Pontificem novimus, statim Beneficentissimum, ac penè prodigum sensimus. Ea ipsa die triginta aureorum millia distribui in pauperes Jussit: Venturæne dixerim semina, an præsentis fructus felicitatis? Nefas duxit, priùs Principem, quàm liberalem deprehendi; & felicitatem priùs spondere, quàm dare. Pulchrum est, ac Tuum, Gregori, quòd Principatûs initiô, non modò à Populo tributa non exigis, sed Ipse Populo liberalitèr donas

Pulcri-

Pulchrius tamen, quòd morem istum constanter sequutus, perpetuo largitionum usu, Liberalitatem Principis Pauperibus quodammodo feceris vectigalem. Hæc enim est Beneficiorum conditio: ut vectigalium more excipiantur, cùm statis temporibus conferuntur. Aliorum hoc Principum fuerit, aliena munera in tributa convertere. Sua Gregorius munerá referri in rationes Pauperum *jussit*; ut tributorum in morem Pauperibus penderentur. Et quidem quàm digna, quæ solvantur à Principe Tributa: Vicies centena, & quadringenta aureorum millia in Pauperes erogata! Liberalitatem istam immortalitati consecraturus Senatus Romanus, marmoreum in Capitolio Gregorio simulacrum erexit, hâc inscriptum Epygraphe: Ob Singulari Beneficentia in Egenos Distributum Sestertium Octingenties.

Bene est, Roma, quòd Jovis occupat in Capitolio locum Liberalissimus Princeps, quem meliùs Antiquitas appellasset Jovem. Olim Jovis appellationem, & existimationem Divinitatis mortali fecerat, juvare, & prodesse mortalibus: Quòd nihil tam Divinum putaretur; quàm beneficia hominibus elargiri. An non potiori jure apud antiquos illos Divinitatis dispensatores prodigos, parem fecisset Gregorio existimationem, ac nomen, addita studio adjuvandi mortales, præcipua sublevandi pauperes cura? Nul-

 lum

lum enim Beneficentiæ genus Divinius, quàm quod nullâ ſpe redimendi, in egenos impenditur. Et ſanè quàm accuratè, ác ſollicitè occurrere calamitatibus pauperum ſtuduit? Xenodochia frequenter inviſere, ac ditare: Dotem Virginibus, Peregrinis alimenta largiri: perenni quodam Congiario pauperes recreare. Quid etiam, quod ſæpè Munificentiam ſuam per Urbem circumferens, ſuis Ipſe manibus, denſatis pauperum gregibus, ſtipem multiplicem ſingulis largiebatur?

Quale ſpectaculum. Roma, cum Principem tuum, Moderatorem Orbis Terrarum, immiſtum cerneres pauperum turbæ, occurſantis Populi impetu huc illùc abreptum, nequidquam Prætorianâ obluctante Cuſtodiâ: Dum interim mitiſſimus Princeps vim populi pati gauderet, quam oblitus Pontificiæ dignitatis amor, & blandè protervus inferret! O novum, ac triumphale ſpectaculum, ubi Liberalitas Principis de Sua ipſius Majeſtate triumphat! Quamvis nihil hoc facto Tanti Principis Majeſtati detractum, quæ ad ſummum Dignitatis, Virtutis, Gloriæque faſtigium evecta, hoc uno tandem augeri poterat modo: Si ſe ipſam demitteret, & ad aliena incommoda ſublevanda deprimeret. Dei planè mos eſt, ut liberalitatem exerceat, ſuam quodammodo negligere Majeſtatem.

Sed parum adhuc iſta ſunt Munificentiæ Tuæ, quæ

quæ omni beneficiorum genere, omne mortalium genus, omniaque in posterum sæcula complecti debet. Quod enim unquam non ad utilitatem tantùm, sed ad dignitatem Reipublicæ exoptari commodum potuit, quod non illico munificentissimus Princeps magnifico sumptu paraverit? Quid memorem additas Vaticanis Ædibus moles, vibratas salientibus aquas, suspensos canalibus Fontes, deciduos è fontibus Fluvios, junctum pontibus Tyberim, stratas in salebroso, & prærupto solo Vias, restituta Templa, erecta Cœnobia, ornata Sacella, imposita Quirini collibus Pontificii adyti Veneranda Sacraria, Horrea propulsandæ penuriæ ad Esquilias collocata? Hæc, aliaque innumera, tot locis diffusa, Pontificiæ Beneficentiæ Monumenta ingentis illius animi imaginem præferunt, qui ad omnia humana, vel ornamenta, vel commoda paratum semper, accinctumque se præbuit. Eam enim Magnificentiam, ac stabilitatem ostentant; ut satis intuentibus constet, æternitati sacra, æternitatem esse æquatura. Nullum ergo sæculum, Pontifex optime, expers erit Liberalitatis Tuæ: ut nullum fuit hominum genus, nulla tam remota, ac dissitá Natio, ad quam non aliqua Tuæ liberalitatis portio pervenerit. Non enim unius Italiæ, aut Europæ finibus claudi se passa est Liberalitas Tua, sed more Solis, omnia

perlustrantis, ditantisque, Asiam, Africam, Americanosque tractus beneficiis implevit.

Divinam hanc Beneficentiam Tuam non audientes modò, & legentes, sed suismet oculis intuentes Posteri, quod nos ipsi facimus, incredibili quodam erga Te amóre, & admiratione rapientur. Sed quanto stupore perculsos videre videor, cùm intelligent, quod omnibus dedisti, nemini ereptum? Constat enim illud certissimum, nullum à Gregorio impositum Populis vectigal, plurima verò, & magni proventus remissa: neque ullum passus est Populi onus, nisi quod ad publicam felicitatem spectans, non inter onera esset, sed inter munerá computandum. Utrumque Liberalitatis Tuæ: Vel quòd onerosa Populo Tributa dissolveris; vel quòd aliqua esse permiseris, ad pensitantes ipsos fœnore multiplici reversura. Omnibus ergo locupletatis, unus pauperior factus est Princeps. At ne Ipse quidem. Non est exhausta, non imminuta opibus ejus Liberalitas Principis, quæ reliquos omnes ditavit. Immoverò Ærarium ipsum Pontificium plurimo alieno ære liberavit: & quod mirum est magis, annuo insuper centum millium aureorum redditu auxit.

Hærebunt ad hæc admirabundi invicem Posteri, rogantes mutuò: Quì fieri tandem potuerit; ut tot tantisque opibus in omnium utilitatem profusis, remissis Populo vectigalium proventi-

ventibus, adhuc tamen Ærarium ditaveris: Cum reliqui Principes, etsi multa à Populo exigant, pauca distribuant, deesse tamen sibi plurima sentiant? Intelligant tamen, vertendum id miraculo sapientiæ, & Frugalitatis Tuæ. Sapientiæ quidem, quæ ferrifodinis inventis, abstersis, exsiccatisque Paludibus, aliisque ad genus artibus, naturam ipsam sibi vectigalem fecit: Illi pensanda imposuit Tributa Populorum, & distribuenda sæculis dona. Nec dictu absonum puto, Naturam ipsam rerum, in certamen veluti Liberalitatis adductam, quas gremio condit divitias sponte suâ largissimè profudisse, implevisse agros ubertate multiplici: Ut tantæ Liberalitatis materiem sufficeret; & dispensanda mortalibus, sæculisque omnibus munera Gregorio Parenti optimo suppeditaret.

Tribuendum prætereea Frugalitati Tuæ Gregori, quæ omnem luxus materiem, quæ infinita propemodum solet esse Principibus, in Liberalitatis materiem convertit. Sed non ingens tantùm Liberalitatis fructus in mortales omnes ex hac Parsimoniâ profluxit. Frugalitate etiam istâ impositus est alienis cupiditatibus pudor: pulsa indigentia, quam immodica cupiditas parit. Cum enim ad mores Principis componamur omnes; quis auderet remotorum littorum pisces, peregrini aeris volucres, alieni temporis flores optare; cum videret Principem suum, Terrarum,

hominumque Dominum, parcè contentèque viventem, modico, & vulgari cibo jejunia longa solantem?

Immodicis itaque cupiditatibus demptis fecisti Posteris dubitandi locum: Tene liberalem magis Liberalitate ipsa: an Frugalitate præstiteris. Enimvero haud satis scio, magisne ille divites faciat, qui opes cupientibus donat, an qui cupiditates ipsas imminuit. Cum enim opes, non secus ac addita igni materies, cupiditatis immodicæ flammas non extinguant, sed augeant: quò plures opes suppedites; eò cupidiores interdum, ac miseriores facies: plura sufficiens irritamenta cupiditatis, & incrementa indigentiæ. Ubi verò modum cupiditatibus ponas, subtractâ indigentiæ causâ, eò divites magis, quò minùs cupidos facis. Utcumque res habeat, sapienter, ac liberaliter, Munificentissime Pontifex, utroque humanæ Reipublicæ à Te consultum est modo, vel Beneficentiâ, vel Parsimoniâ tuâ. Altera opes mortalium auxit: Altera cupiditates compressit: Utraque divites fecit.

Perge, quæ reliqua publicæ Felicitatis pars est; Bonas Artes, ac Disciplinas erigere jacentes, earumq; Dignitatem, & cultum augere: Quid enim est ignava, & opulenta Tranquillitas, nisi plurimorum illicium, & lenocinium vitiorum? At quo tandem in loco ista commemoro? Nempe in hoc Romano Lyceo, quod meritò Regiam dixe-

dixerim Gregorii Beneficentiâ Bonarum Artium perpetuitati, ac dignitati constructam. Vagabantur passim incertis sedibus præstantissimæ Artes: Nusquam ferè domicilium stabile, ac certum habebant. Cum enim suapte naturâ, & ingenio studiosæ sint Pacis, & Tranquillitatis sociæ; quo tandem in loco sibi stabilem sedem deligerent, in ea perturbatione temporum, cum ubique Tranquillitas domicilium haberet in fuga?

Sapiens hoc Tuum consilium, Gregori, quòd Orbis Catholici Tranquillitate compositâ, præclaris Artibus, quæ Pacis noramenta sunt, ac præsidia, in hac Urbe Urbium Reginâ, non stabilem modò, sed perpetuam sedem, & quoddam velut imperium decernis. Bene est quòd Magnificentiam animi Tui, non ut Imperatores olim, ad Amphiteatra crudelitati dicata convertis, non ad Thermas castra luxuriæ, sed ad Lycea sapientiæ augustissima, & Bonis artibus sacra. Ut spiritum, sanguinem, & Patriam recepere statim Artes optimæ, ubi sensere, redditas sibi in hac Urbe Dominâ Gentium Athenas suas! Abundè quidem ad earum felicitatem sanciendam, amplificandam latissimè dignitatem, & cultum. Hìc enim præstantissimis disciplinis imbuitur ex omnibus ferè Nationibus delecta Juventus, reditura ad regiones suas, ditata eruditione multiplici, atque aliis impertitura eas

doctrinarum opes, quas sibi in hoc ipso loco, velut è quadam fodinâ sapientiæ comparavit.

Sed nihil unquam satis Gregorio fuit, cum esset aliquid amplius. Quid enim tam grande? quid tam sumptuosum, atque magnificum ad augendas, vel ornandas, vel etiam firmandas, ac stabiliendas præclarissimas Artes excogitari opportunum potuit; quod tanti Pontificis Providentiam effugerit, Liberalitatem fatigaverit, vicerit Magnificentiam? Occurrunt hìc statim Typographiæ amplissimæ, quas in subsidium Literatorum instruxit. Occurrunt innumeræ, celeberrimæque Academiæ, quas vel primò erexit, vel sustinuit labentes; vel inopes locupletavit. Sed hunc sibi præcipuè vendicant Orationis locum immortalia Gregorianæ Beneficentiæ Monumenta, quæ in hujus Aulæ coronidem suis distributa coloribus, vestros invitant oculos, Auditores, meamque incusare videntur in dicendo moram: Tot nimirum Seminaria, Gregorii manu ubiq; Terrarum sata.

Et primò quidem Collegia tam multa, quæ hac ipsâ in Urbe non erexit modò, sed aluit, & proventibus annuis locupletavit: Ut cùm Nationes èxteræ, ad hauriendas liberales Artes, Romam confluerent, quò libentiùs facerent, non Præceptores tantùm Romæ invenirent, sed Parentes, Domum, & Patriam suam. Vestram hìc Patriam Germani habetis, & Ungari; Ve-

stram,

ſtram, Angli; Veſtram, Græci; Maronitæ, veſtram. Vos, quotquot Romam confluitis, Bonæ Artes excipiunt, ut Cives; Vos Pontificiis proventibus alunt; Vos ad honores, ac dignitates promovent; Vos denique diſciplinis optimis imbuunt, ut eas ipſas in Regionibus veſtris aliquando reduces diſpergatis.

Quid etiam, quòd Romam quodammodo per univerſum Orbem circumferens, ubique Collegia poſuit, quorum Catalogùm texere ipſa prohibet multitudo? Quamvis enim ſupra reliquorum hominum conditionem elatus, nunquam tamen ſe hominem eſſe, ac mortalem oblitus; gnaruſque propterea felicitatem illam, quam Orbi Catholico procreare contenderat, perpetuò ſe tueri non poſſe; modum invenit, quo vel abſens in poſterum tutaretur. Ubique Terrarum Seminaria poſuit, quæ in ſpem Orbis Catholici alerent Principes optimos, Sanctiſſimos Præſules, Viroſque ſapientes: Qui, Gregorii Beneficentiâ, & moribus innutriti, futuri aliquándo eſſent publicæ Tranquillitatis Præſidia, Calamitatum Vindices, Bonarum Artium Auctores, Univerſæ denique Patroni felicitatis.

Quòd ſi qui Populorum Felicitati proſpicit, jure optimo dici Populorum Felicitas debet; An non Sæculorum Felicitas is appellandus eſt Princeps, qui Orbis univerſi, & ſubſequentium omnium Sæculorum Felicitati proſpexit?

Quid

Quid verò, Auditores, quòd Civilis ista Felicitas, quæ postremum est vulgò Populorum Votum, optimorum etiam Principum meta, initium duntaxat, ac fundamentum est, ac primus veluti gradus excelsioris longè, ac Divinioris Felicitatis, quam Sanctissimus Pontifex Orbi Universo, Sæculisque omnibus moliri semper, atque impensissimè studuit? Illius nimirum, quæ in veræ Religionis cultu, & Divinissimarum Virtutum studio sita est? Quæ duo ad immortalem Cœlestis Patriæ Felicitatem ita nos habiles, & comparatos efficiunt; ut eam ipsam spe quadam certâ prævertere, ac prælibare contingat. Huc enim semper toto pondere consiliorum, totoque nisu mentis incubuit Sanctissimus Pontifex: ut Divinam hanc felicitatem, quæ supernæ quædam imago est, ac festinata veluti prælibatio Felicitatis, omni mortalium generi, omnibusque in posterum sæculis compararet. Quorsum enim putatis tot artibus partam Tranquillitatem Orbis Catholici; nisi ut consociata fœdere Catholicorum Principum arma, omnia in Romanæ Fidei hostes converteret, iisque demum subactis, in Orbem universum inveheret veræ Religionis cultum? Quorsum tot opes, ac munera in omne mortalium genus ab Ejus Liberalitate profusa arbitramini; nisi ut occupatos beneficiis animos ad morum integritatem, & sanctimoniam volentes impelleret, & ad Divinissi-

nissimarum Virtutum studia inflammaret? Quorsum denique tot ubique Terrarum Bonis Artibus extructa Domicilia; nisi ut Divinæ hujus Felicitatis perpetuitati consuleret, ubique positis Romanæ Fidei castris, ubi totidem, ut ita dicam, sacri milites, Gregoriano ære conducti, sanctioris militiæ Tyrocinia ponerent, ad tuenda perpetuò, & augenda veræ Religionis jura?

Hìc verò quàm ingens mihi se aperit dicendi campus, si angustiæ temporis ferrent? Quam enim Orationem exposcerent, accisæ tot Hæreticorum vires; tot Nationes, ad veræ cultum Religionis traductæ; tot Belli apparatus, ac studia, in spem Orbis universi ad Fidem Catholicam redigendi?

Quàm esset dulce, quàm copiosum referre, quâ Sapientiâ, & Virtute Ugonotorum vires infregerit, Truxesium Coloniâ exturbaverit, Lutherum in Germania vexaverit, in Gallia penè Calvinum extinxerit, è Belgio Bajum ejecerit, Dioscorum denique, cum Nestorio, toto Oriente depulsos, ac perditos exterminarit? Immensum esset Svecum, Danum, Moschum, Bungos, Thraces, Brasiles, Æthiopes, Indos, Persas, Japones, aliasque Nationes, Insulasque oratione percurrere, quas toto divisas Oceano, curâ tamen Pontificis, & Parentis Charitate complexus, vel Fidei mancipatas, deditas Tibi, Roma, fecit; vel Pontificiæ Majestatis veneratione perculsas inspexit.

Incre-

Incredibile denique, quo labore, & constantiâ Catholicos Principes stimulaverit, ut junctis viribus, sacro bello Othomanicum nomen delerent: ob id Pontificiis ferè opibus classes ornaverit, Hispanico, Thyrrenoque mari commissas, in Thraciam alteras trecentis triremibus, & septuaginta militum millibus instructas; alteras in Rebellis Angliæ littora, non minori virium apparatu munitas. Atque utinam ingentibus Votis pares habuisset Catholicos Principes, nulliusque desidiâ peccatum esset! Vidisset Felicissimus Pontifex obsequentem Catholicæ Fidei Orbem Universum, & quod unicè optabat, Divinæ participem Felicitatis. Sed quamvis eventus minùs consiliis responderit; nullâ tamen diminutus est parte Pontificiæ Magnanimitatis splendor: accessit verò Constantiæ laus, quæ loco Victoriæ stetit.

Quod verò ad alteram spectat Divinæ hujus felicitatis partem, Divinissimarum videlicet amorem virtutum, & cultum, quàm multa mihi cursim dicenda sunt, quæ integram sibi laudationem, vel singula vendicarent? Incredibilis nempè Vigilantia Pastoris, quâ non Juventutis modò, sed omnium ætatum moribus, ad omnem virtutem formandis, ita semper incubuit; ut Draconem, vigilantiæ symbolum, Boncompagnæ Familiæ gentilitium stemma contigisse Divinitus putem, ad Gregorii Vigilantiam, vel

promit-

promittendam, vel adumbrandam. Mira illa in præcavendis, puniendisque criminibus admista Clementiæ Severitas, Severitati Clementia: Adeò ut quos clam corripiebat, dissimularet palam; & quos publicè puniens insequebatur suppliciis, privatim parcens commiseratione, & lacrymis prosequeretur; amaretque miseros, quos scelestos odisse cogebatur. Quo quidem temperamento virtutum præcavit Bonis, ne mali fierent; Malis, ut mali esse desinerent. Verebantur scilicet Boni Justitiam lædere, amore Clementiæ; Mali, Clementiâ abuti, timore Justitiæ.

Sed ad hanc Felicitatis partem mortalibus conciliandam, optimo usus consilio, omnes in Se uno complexus est, maximas, divinasque Virtutes. Cum enim Summus Pontifex in supremo rerum humanarum apice positus sit; ut Orbi universo doctrinæ luce, & sanctimoniæ exemplo præfulgeat; Ad Eum omnium mortalium diriguntur obtutus: Omnes imitari desiderant, quem mirantur: atque ad ejus normam suos mores conformando; ad ejus similitudinem imitatione assurgere exoptant. Omnes ergo homines optimos, vel ut optimi fieri possent, Gregorius fecit, cùm Se optimum omnibus præbuit omnium Virtutum Exemplar.

Quàm feliciter deniq; per Sacerdotes, suis sumptibus, suis consiliis, operâ suâ institutos, formatos, ac formandos in posterum Divinæ

hujus

hujus Felicitatis perpetuitati prospexerit, testantur satis tam multi, qui vel profuso sanguine Religionem Catholicam fortissimi Martyres irrigarunt; vel sapientissimi, ac vigilantissimi Præsules, Romanam Fidem in Germaniâ præsertim, atque Britanniâ periclitantem, adversùs hæreses tutati sunt; vel Purpurati amplissimi, Romanæ Sedis dignitatem, ac decus ornarunt; vel etiam Pontifices Maximi, Sanctissimis legibus Religionis cultum, & morum Sanctitatem auxerunt. Adeò ut, quoties profluentes ab hisce Gregorianis sapientiæ, virtutisque Seminariis Catholicæ Fidei proventus mecum ipse recolo, toties in hanc spem assurgat animus: fore aliquando; ut Gregorii vota, ac studia, quibus veræ Religionis cultum, & sanctitatem morum invehere in universum Orbem contendit, per Alumnos suos, ab illa Superûm, ubi jam quiescit, Arce videat feliciter impleta.

Quid ergo reliquum fecit Sanctissimus Pontifex, ut omne Felicitatis genus, vel universis Mortalibus pareret, vel Sæculis omnibus confirmaret? Quanto itaque jure appellari à Nobis Sæculorum Felicitas debet, & si quid speciosius, si quid Divinius in Mortalem cadere Deo simillimum potest.

Reliquum est, ut suam Felicitatem Sæcula Gregorio acceptam ferant: hoc in initio, hoc in decursu, hoc in ipso interitu profiteantur: &

quas

quas ipſa per ſe ſe ſatis perſolvere grates non poſſunt, ſuo etiam nomine, ſubſequentibus Sæculis perſolvendas committant. Fecit Sæculum iſtud, facient ſubſecutura omnia: & in hoc ipſo loco facient, quem Tanti Pontificis Beneficentia Æternitati ſacrum voluit; & Societas noſtra, tot obſtricta memoriâ beneficiorum, immortalibus Tanti Pontificis laudibus ſacrum perpetuò fore decrevit. Dixi.

LUDOVICI XIV.
REGIS CHRISTIANISSIMI
ORATIO FUNEBRIS
Habita Romæ in Lateranenſi Baſilica Anno MDCCXI.

Fuit Magnus ſecundùm nomen ſuum. Eccl. 48.

QUem extinctum lugetis, Eminentiſſimi Eccleſiæ Principes, Præſules Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini, Cui religiosè adeò, ac ſplendidè, ut Vos atque Illum decet, juſta perſolvitis, Cui magnificum hoc erexiſtis doloris, obſequii, & grati animi Monumentum, Eum Ipſum

Ipſum immortali fletu luget Gallia, luget Rel
gio, luget Orbis terrarum univerſus: Galli
quòd Regem Magnum amiſerit; Religio, qu
Magnum Vindicem; Orbis terrarum, quòd M
gnum Heroem: Ludovicum videlicet Quartum
decimum, Chriſtianiſſimum Regem, cognome
to Magnum, & undecumq; Magnum, ſecundù
Nomen ſuum. Æquavit enimvero undequ
que amplitudinem, Majeſtatemque Nominis L
dovicus, Animo, Imperio, Religione: Anim
proſperis æquè, ac adverſis infracto; Imperi
per omnia Pacis, Bellique ornamenta diutiſſi
geſto; Religione, ab erroribus, ac vitiis ace
rimè defensâ, & magnis impenſis, & curis ſtu
oſiſſimè propagatâ. En vobis, Auditores, t
veluti Simulacra, quæ totum ſpirant Ludovic
Magnum; Magnum, inquam, Heroem, Rege
Vindicem Religionis. Tria hæc ubi ſummat
perſtrinxerim, peroravero.

AC Primò quidem, Magnus ille procul du
cenſendus eſt Heros, & illuſtri hoc Titu
aſſenſu omnium, & prædicatione decorand
qui utramq; Fortunam, velut è loco editiore
ſpiciat; utrâq; Altior, utrâque Major: qui
que à ſecunda efferatur, neque frangatur adv
sâ; in altera Moderatus; in altera Fortis; utr
que Magnus. Habetis, Auditores, paucis
preſſam imaginem Ludovici Magni; qui in
mulatiſſima felicitate, Moderationem; in

viſſi

vissimis infortunis, Constantiam Heroe Maximo dignam præ Se tulit.

Quis Illo felicior, qui diu sterili Thoro, non sine præsenti Numinis Providentia donatus Terris, atque in sinu felicitatis exceptus, incredibili gaudio, jamdudum anxia, atque sollicita Gallorum vota cumulavit? Magni Regis Filius, Regni florentissimi Hæres, iis illicò corporis, animique Dotibus instructus apparuit, quæ Regem è Cœlo delapsum, ac divinitùs institutum spirarent, atque omnium in se amorem, venerationem, admirationemque converterent. Quinquennis Puer, Rex inauguratus, regia omnia præ Se tulit præter ætatem, cujus accessu eâ felicitate Regnum amplissimum, tam diuturnô annorum, gestorumque curriculô administravit; ut non Gallia tantummodò, sed Europa, sed Orbis terrarum, insuetis plausibus, & gratulationibus personaret. Quàm multa, quàm magna, quàm ardua, exterorum etiam beneficio Populorum, Regno suo major Ludovicus suscepit, atque ad felicissimum exitum, finemque perduxit? Hinc adeò omnia longè, latèque impleverat Famâ Magnitudinis suæ; ut ab extremis usque Terrarum plagis, tot venerabundos in Oratoribus suis Reges acciverit, novi Salomonis visendi studiô succensos.

Quid Felicitatem bellicam memorem? Quis captas Urbes, Arcesque recenseat? Quis partas

Terrâ, Marique Victorias? atque eâ vincendi celeritate; ut Inimicorum Terror, atque Orbis Prodigium diceretur: nec suorum modò, sed exterorum, sed hostium ipsorum consensu, atque suffragio audierit: Ludovicus Magnus! O verè, atque omni ex parte Felix Ludovice! Felix illis Natalibus; Felix corporis, Felix animi dotibus; Felix nobilissimo Regno; Felix opibus; Felix Potentiâ; Felix Virtutibus; Felix tot consiliorum tuorum Administris, quos Sapientiæ Tuæ Alumnos ad omnem solertiam, artemque regnandi formaveras, hòc etiam Sapientes, quòd Te longè sapientissimum mirarentur, ac velut à Te illustrata Sidera, Te Sapientiæ Solem præclârissimum prædicarent; Felix exercitibus, Felix triumphis; Felix tot fortissimis, & rei militaris peritissimis Ducibus, à quibus Ipse Ducum præstantissimus habereris; Felix denique amore, cultuque Populorum, Exterorum plausu, ac obsequio, Inimicorum metu, ac reverentiâ, Orbis totius admiratione, ac laudibus! Ecquid est, Auditores, quod tantæ Felicitati addi possit? Est enimverò: si eam ipsam ad omnem æternitatem propagatam, exaggeratam in posteris videat. Vidit ad felicitatis suæ cumulum Ludovicus. Vidit Liberos, ac Nepotes, ad quartam usque seriem Posteritatis exortos, à quibus Pater, Avus, Proavus salutaretur. Quid mortali optabiliùs contingere, quid Regi cumulatiùs potest, quàm

suam

ſuam quodammodo immortalitatem in Poſteris ſuis intueri, nec præſentis tantummodò, ſed futuræ etiam gloriæ incrementa proſpicere, & prægustare?

Jamverò Quem Se Ludovicus in tam proſperis rebus exhibuit? Num Ille omni ex parte obſecundantis fortunæ impetu abripi, aut amplioris ſemper Imperii faſtigiô efferri ſe paſſus eſt? Immò verò quò felicior, eò melior, auguſtiorem Humanitate, ac Moderatione; quàm Dignitate, ac felicitate Se præbuit. Cum Homine major quodammodò haberetur; hòc magìs ex æquo cum hominibus ſibi agendum ducebat. Eâ Benignitate cum ſuis verſari gaudebat, ita ingenitam, & divinum quid ſpirantem temperare Majeſtatem; ut Rex, & Princeps non niſi Humanitate ipſa, ac Munificentiâ dignoſceretur. Patebat omnibus aditus ad Regias Ædes: Liberum erat unicuique Regem inviſere, alloqui: Liberum erat, & conqueri. Et quamquàm nunquam magis iniquum ſit, de eo Principe queri, quàm de quo magis licet; incredibili tamen animi moderatione, ac magnitudine procaces interdum querimonias mitiſſimus Princeps ferebat; Nec ferebat modò, ſed comis excipiebat, ac libens: ut omnibus poteſtatem expoſtulandi faceret: & cauſas, quantùm humana conditio, quantùm ſors Regum pateretur, adimeret. Licebat miſeris civibus, ſuas deprecari calamitates:

gregariis militibus, sua ostentare vulnera: quibus amantissimus Princeps indolere consueverat: & in aliena calamitate, ut ait Quintilianus, sui ipsius miserebatur. Præclarum istud moderati, atque ingentis Animi argumentum: Quod se hominem cogitet, qui hominibus imperat: Seque obnoxium calamitatibus putet; qui obnoxiam sibi Felicitatem intuetur.

Jam felices bellorum eventus, quâ Moderatione excipiebat? Non insolitis, non impotentibus efferri gaudiis: Gratulationes, triumphos, ac plausus constantissimè detrectare. Nihil sibi gloriæ vertere: partem militibus, partem Ducibus, omnia Moderatori Regum, Regnorumque Deo adscribere, Eique accepta referre, & sacris solemnibus celebrare: Adeò, utLudovicus vinceret, & Exercituum Dominus triumpharet. Noverat nimirùm Vir sapiens rerum humanarum vices. Noverat, fluxam, atque evanidam esse fortunæ assentantis auram, nec mendacibus ejusdem illecebris, aut instabili ingenio, fiduciam cordati hominis niti posse. Juvat hìc Julii Cæsaris meminisse, qui mediâ hyeme, atque æstuante ventis Mari, exiguæ se committens naviculæ, ut immensum penè tractum aquarum trajiceret: cum præsentis periculi metu exanimem Nauclerum videret; *Quid times? inquit, fortunam Cæsaris vehis.* O vocem tanto Viro indignam! Adeòne ignorabat Fortunæ inconstantiam,

tiam, atque irati Maris indolem, non tam plebejis naufragiis, quàm regalibus ſuperbientem! Quàm ſuâ Ipſe mergi fortunâ meruerat, quâ tam ſuperbè abutebatur. Atqui Ludovicus nunquam fortunæ ſuæ confiſus, quidquam temerè aggreſſus eſt: Omnia maturè, ac ſapienter moliendà arbitrabatur: atque in tam diuturno rerum ſecundarum curſu, ſemper ſibi incipiendum, ſemper ſibi promerendam, faciendamque, quâ fruebatur, proſperitatem putavit. Quid, quòd penè incredibili ſibi imperantis animi documento, ſuam Ipſe novit ſeriem, atque curriculum Victoriarum, ſtudio Pacis abrumpere.

Prodit hoc, Ludovice, Magnitudinem tuam, quòd tam ingentem Fortunam æquô animô tuleris, nec in ſuperbiam, quæ depreſſio eſt animi, cupiditati gloriæ ſerviliter obſequentis, Te inaniter efferri permiſeris: Sed felicitate Tua, licèt maximâ, Major Ipſe, parem illi moderationem objeceris. Verumtamen unam dumtaxat, eamque minùs præcipuam id prodit Tuæ Magnitudinis laudem. Qui obſequentem, blandientemq; fortunam, irretortîs penè dixerim oculîs excepiſti, quærendum jam ſupereſt, num etiam adverſantem, ac ſævientem invictus, ac ſerenus exceperis. Magnum eſt Felicitati moderationem, Majus opponere calamitati. Conſtantiam. Idcircò Supremi Numinis Providentia, læta ſæpe triſtibus, proſpera adverſis intexuit: Ut in

hac viciſſitudine, & conflictu rerum totus extares.

Age jam, Ludovice, Conſtantiâ quì valeas, profer. En Tibi Victoriam, quæ Tuis jamdudum addicta Vexillis, Tuis oppignorata ſtipendiis, Tibi mancipata videbatur; En deficientem, rebellantem, ad hoſtium Caſtra fugientem intuere. Vidit Ludovicus. At quemadmodum vidit? Non ſecùs, ac viderat obſequentem. Eodem vultu nuncia cladum, ac priùs Victoriarum excepit; Eâdem animi tranquillitate captas Urbes audiebat, quâ capere ante conſueverat. Invicto ſcilicet animo, cum adversâ fortunâ, ſibi luctandum putavit. Cùm præliis victus eſt, Conſtantia loco Victoriæ ſtetit: ac dubii locum fecit; glorioſior ne vicerit, an vinceretur! Macte hâc Virtutis gloriâ, Heros præſtantiſſime, atque eâdem conſtantiâ perfer, ſæviùs adverſantem fortunam, ſeu potiùs Providentiam Numinis, Virtutes Tuas exercentem ſeveriùs, glorioſiùs efferentem. Jam propiùs accedit Calamitas: Regiam obſidet Domum: & quas laureatis hactenus militibus clades intulerat, jam infert Tuis.

Delphinum, Chariſſimum Filium, Cui regalibus, ac ſanctiſſimis moribus inſtituendo, tantum Regiæ curæ, ac ſollicitudinis impenderas, quem Tuis inhærentem veſtigiis, Tuas referentem Virtutes, Tibi, Galliæ, Romæ, ac Cœlo meritò gratula-

tulabaris, quem Successorem tuum, Regno dignissimum, atque Orbis ornamentum formaveras, Amantissime Genitor, immaturâ morte Tibi præreptum vidisti. O dignam vel tuis lacrymis calamitatem! Hoc tamen dolori Tuo solatium esto. En Tibi Delphinum alterum, Burgundiæ Ducem, quem Gallia novam spem Imperii nascentem vocaverat, Filium non imparem Patri, Nepotem non absimilem Tibi, Mentis amplitudine, Regnô amplissimô parem, & quod caput est, eâ morum integritate, Pietate, ac Sanctitate fulgentem, ut Divum alterum Ludovicum Galliæ destinet, Ecclesiæ spondeat, Cœlo polliceatur. Sed ò magni luctus breve solatium! Hunc ipsum Calamitas petit, ac perimit: In ipso Juventutis flore, Galliæ rapit, ac Tibi: & nondum obductam gravissimi, quod acceperas, vulneris cicatricem graviori vulnere cumulat, aggerat funeri funus, dolore dolorem exasperat. Delphinum saltem Tertium Britanniæ Ducem, speciosissimum Puerum, qui totum spirat Genitorem, qui Avum ipsum, immò & Augustissimum Proavum oris habitu refert, Hunc saltem servate, Superi, ne Regiæ, & Regni spem reliquam dolenti Galliæ, & mærenti Ludovico mors rapiat. Proh irrita vota! Hunc quoque mors rapuit. Ne huic quidem tenerrimo Flori pepercit: Hanc quoque innocentissimam Victimam crudelitati suæ immolavit. Num tandem

ſatis? Nondum ne funereus iſte calamitatis Turbo deſæviit? Utinam ſatis! Bituricenſem Ducem, quem ad Auguſtæ Domûs felicitatem natum interpretata eſt Gallia, Hunc etiam Mors in partem ſæviſſimæ cladis vocavit. Hoc etiam, in Borboniæ Domus Cœlo, lucidiſſimum Sidus extinxit. Quid memorem, quòd in primo illo furentis tempeſtatis æſtu, Mariam Adelaidem Sabaudam, Burgundi Uxorem lectiſſimam, quam ob eximias, tum Naturæ, tum Virtutis dotes, Tibi commendatam, Ludovice, utì Filiam chariſſimam diligebas, ac ſenectutis Tuæ ſolatium appellare conſueveras, Eam ipſam, ætate florentem, & fœcunditatis ſuæ fructu nequicquam lætantem, vix dato, inter Conjuges, & Filios tot Funerum ſpatio, uno propemodum ictu, Mors cæca, Mors impacata peremerat? O deplorandam in ſæcula Funerum ſeriem!

At qui Tuus doloris ſenſus, Ludovice, cum tam funeſtam procellam exciperes, quæ tot florentiſſimaqua Tuæ Regiæ ſtirpis genimina excidit, atque eam, quam in Poſteris Tuis ominabare, felicitatem tam brevi tempore evertit? Cum Te præſentem tot, ac tam lugendis Tuorum funeribus ſiſteres? Cum Galliæ totius mœrorem, ac luctum, quæ cladem Tuorum, atque Orbitatem Tuam, ſuamque dolebat, lugebatq; intuereris? Magnum Conſtantiæ Tuæ argumentum, quòd penè ſeniò confectus, vim tamen doloris

loris ſuſtinebas, totque infixis cordi vulneribus, quorum recens ſemper acerbitas, nondum obductam veterum cicatricem refricabat, Te tamen ſuperſtitem, incolumemque ſervaveris. Majus, & pluſquàm heroicæ argumentum Conſtantiæ, quòd Te tam invictum, & calamitate Tua majorem exhibueris, ut triſtiſſima hæc, funeſtiſſimaque Tempeſtas animum Tuum, non dicam obnubere aut perturbare, ſed ne occupare quidem potuerit, quo minùs intereà conſiliis pro more præeſſes, Regni negotia expedires, acceptas à militibus Tuis, quæ eo ipſo tempore nunciabantur, clades redimeres, iis quæ timebantur, occurreres, omnia deniq; eâdem mentis tranquillitate, & præſentiâ tranſigeres, quâ prius uti ſolebas, cum omnia Tibi pro voto cederent, & proſpero flatu Fortuna velificaretur? Aut ego vehementer fallor, aut parem animi Conſtantiam, apud omnem retro antiquitatem fruſtra quæremus.

Unum ſupereſt, Ludovice, argumentum Virtutis, ac Magnitudinis Tuæ. Num eandem, tot calamitatum Victricem animi firmitatem in ſupremo Vitæ diſcrimine præſtitiſti? At non eandem, ſed majorem enimverò, ſed maximam, ſupra quàm dici poſſit, exhibuit. Adeò ut Nemo (Tua hìc teſtor, Clemens Pontifex Maxime, oracula potiùs quàm verba) ut nemo ex veteris Philoſophiæ Sectatoribus, tam magnificè contemptum

ptum mortis decantaverit in Scholis, quàm Ille fortiter prætulit in arena. Cum in sinu optatissimæ Pacis dies felicissimos duceret, morbô corripitur, qui diem Illi supremum denunciat. Quâ serenitate, ac tranquillitate fatale nuncium, quo vitâ, Regnoque excedere jubebatur, excepit? Quo imperterritæ mentis, ac Vultûs habitu, mortem foribus incubantem non paucos dies sustinuit? Quâ Pietatis constantiâ Divinis rebus, sibique ad immortalitatem comparando animum intendit? Quâ Providentiâ, & curâ felicitati Populorum, ac novo Regi instituendo consuluit? Adeò ut viribus integer, vel propediem moriturus, videretur! Quid, quòd Eos, qui tanto vel doloris, vel constantiæ spectaculo aderant, cum à lacrymis temperare non possent, unus qui lugebatur, Ludovicus, solari lugentes nitebatur: quin vel ipsos redarguens: *Itane*, inquit, *me immortalem credidistis?* O voces, quòd mortalitatis immemores admoneret, immortalitati consecrandas!

Prodeat hìc Alexander, qui acceptum vulnus mortalitatis suæ argumentum interpretanti Philosopho ita succensuit, ut reum mortis damnaverit. Hiccine Magnus Ille, quô adeò jactabunda superbit antiquitas? Non ego Illum Heroibus adnumerem, qui fortunâ superbiat, sed qui vulgus hominum Virtute transcendat: Hæccine tandem magna Virtus, intantùm efferri felicita-

licitate, ut Tibi immortalis videare? Intantùm vinci calamitate, ut mortalitati Tuæ irascare? Quàm verè Magnus, Ludovice, Qui mortalitatis Tuæ perpetuò memor, ac patiens, immortalitatem in terris Tibi non pateris, nec arroganter tribui, nec amanter optari! *Itane me credidistis immortalem?* Hæc tandem vera, Hæc magna, Hæc maxima Virtus, ac Tua, Ludovice: quòd à neutra Victus fortuna immò utriusque Victor, alterius illecebras excelsitate animi supergressus, ne Tibi præesset, evasisti, alterius odia, Constantiâ animi superans, ut Tibi succumberet, coëgisti. Adeò ut in utraque superanda Heroem te undequaq. Maximum comprobaveris.

Hactenùs Ludovici laudes, nunc Regis accipite. Regem Maximum sese Pace, Belloque probavit. Quot enim in Heroico Principe pacatæ Virtutes? Quo splendore cultuque fulserunt? Quis satis Regiam verè Prudentiam demiretur? sive delectos publicæ gerendæ rei Administros, quos singula vix ederent sæcula, contempletur: sive res sapientissimè dispositas, sive easdem fortiter ad exitum, coronidemque perductas. Quis integerrimam Æquitatem, dum aut publica Munera partiretur, aut Virtuti erogaret Præmia, aut Supplicia criminibus irrogaret? Quis Magnificentiam Regi Potentissimo parem, seu Reges avito Regno extorres exciperet? seu bonas Artes Donariis amplissimis ad omnem laudem

excita-

excitaret? seu augustas Moles, mansuraque in omnem ætatem Monumenta conderet? seu tandem, Opere, vel Cæsaribus frustra tentato, Maria ipsa committeret?

Quid verò bellicas laudes aggrediar, quæ in omnium ore, ac prædicatione versantur? Quæ in Eo rei militaris Scientia, quam suis Ipse experimentis didicit, suis Monimentis edocuit, inventis denique suis ad summam gloriam, culmenque perduxit? Quàm mira Fortitudo! Quàm invicta Constantia! Quàm Temperantia singularis! Quanta demùm Authoritas, quàmque pervagata apud Suos, apud Exteros, apud Hostes!

En vobis, Auditores, paucis expressum, alterum Orationis Caput, uberiùs exponendum nisi omnem copiam, facultatemque dicendi, argumenti Magnitudo superaret. Pace itaque Tuâ, Ludovice, tot Regias laudes prætereo, quæ Te Regem Maximum prædicant: Majus Tibi gloriæ additamentum fore ratus, si laudator sileat, quàm si jejunè, parcèque laudet: Cum præsertim sciam minùs Te delectari in præsentia, quòd Rex Magnus, quàm quòd Magnus Vindex Assertorque Religionis extiteris. Tertiam hanc Orationis meæ partem, quæ præcipuè hunc locum decet, expediam.

Reges, ac Principes, qui Dei vices in Terris gerunt, & Vicariam præ se ferunt Supremi Numinis Majestatem, ejusdem honori tuendo, promoven-

movendoque, omnem fas est, quàm ab Eo accepêre Potestatem, & Authoritatem impendant. Præcipuum hoc Christiani Principis munus. Quid enim vel ad Populorum felicitatem accommodatiùs, vel ad Imperii securitatem utiliùs, vel ad nominis immortalitatem excogitari gloriosiùs possit? Hic tandem veræ Magnitudinis apex: Hæc summa Virtutis: Hoc veræ laudis fastigium: Si magnum Te Religionis vindicem præstes. Præstitère profectò Gloriosissimi Galliarum Reges: atque ita præstitêre; ut Christianissimi appellari Pontificiis Literis promeruerint. Præstitit quàm qui maximè Ludovicus Quartusdecimus: atque ita præstitit: ut hæreditarium nomen sibi peculiare, ac proprium effecerit. Huc enim præcipuè magnæ mentis curas, cogitationesque convertit: ut Religionem Catholicam tueretur acerrimè, ac pro viribus promoveret. Atque illud in primis cordi fuit: ut toto quàm latè patet Regno, ab Errorum, Vitiorumque colluvie, sartam eam, tectamque servaret.

Hinc Calvinianam Hæresim, nescio quâ temporum calamitate, in Gallia natam, atque innutritam, atque eò audaciæ provectam, Ut in rebellem quandam Rempublicam in Regni gremio coalescere, Templa erigere, Arces communire, ac Trium subsequentium Regum conatus eludere visa sit: Unus tandem Ludovicus Magnus

gnus, Religionis amore inflammatus, totô Regnô expulit, eliminavit, extinxit. Id verò quàm fortiter præstitit! quàm sapienter! quàm feliciter!

Videbat feralis Hydræ vires, quæ Majoribus suis metum, ac penè vincendi desperationem injecerant. Aggreditur. Intelligebat, in Regiæ tandem Potestatis, atque Ærarii detrimentum redundare, si tot Cives è Regno proscriberet. Proscribit. Noverat, desperatos Exules, acriores in se aliquando, ac validiores hostes futuros, Exterorum vires in Galliæ Regnum concitaturos. Concitent, tumultuentur, insaniant. Acuebant ista, non revocabant Magnum illum utilitatis cujusque, atque dispendii contemptorem animum, cui nihil videbatur augustiùs, nihil erat optatiùs, quàm Se, suaque omnia, avitæ Religionis incolumitati, & gloriæ devovere.

Sed illam ego præcipuè miror Sapientiam, quæ industriam omnem, & curam, omnemque hominum conditionem complexa: accommodata singulis consilia, ac mandáta expediebat: et Severitatis, & Clementiæ temperamentô; ut nunc amore Principis, ac spe beneficiorum illectos, nunc Authoritatis reverentiâ, aut metu pœnarum adductos, ad Religionis Castra, à quibus defecerant, sponte suâ, ac volentes, reverti quodammodò cogeret, ac felici quadam necessitate, beatos esse compelleret. Illam sequutu

Regi-

Regiminis normam, quà Supremi Numinis Providentia nostros feliciter expugnare animos solet: *attingens*, ut sacer Codex loquitur, *à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.*

His optimis artibus, sapientissimisque consiliis, adeò feliciter confecta res est, Ut vicies centena Calvinianorum millia, ab impiæ Hæreseos jugo ad Catholicæ Religionis libertatem redierint. Pulchrum hoc genus Victoriæ, quæ non internecione hostium, sed eorum incolumitate florescit: & victos ipsos Victores fecit! Triumphum lætum, ac Nobilem, quem non in servitutem redacti hostes, sed in libertatem asserti sequuntur, nec gemitibus inimicorum, sed vel ipsorum plausibus personat. Dignum Christianissimo Rege, dignum Ludovico Magno triumphum, cui nullá unquám allatura sit finem ætas, ac tota plaudet Æternitas. Tot hominum millia, quos ab errore ad veritatem, à superstitione ad Fidem revocasti, atque in spem immortalis Beatitatis, quâ ceciderant, erexisti, Ludovice, non secùs, ac dum in Terris degeres, eam quam per Te prægustabant felicitatem, Tibi referebant acceptam, Tibique veris, ac summis laudibus gratulabantur, In Cœlesti pariter Regno, ubi tantæ Virtutis fructum uberrimum capere Te non immeritò credimus, immortalem Te auspice, ac Duce, gloriam consequuti, eam Tibi acceptam referre, Tibique æternis plausibus

bus gratulari non desinent, ad Tuæ cumulum Beatitatis. Hanc itaque, quam adeptus es laudem, felicissimamque Victoriam Tuis omnibus bellicis laudibus jure antepones. Illæ enim Fortitudinem Tuam, quæ magna est Virtus ostentant: Hæc Religionis intensissimum studium, atque amorem, Virtutum omnium præstantissimam, Divinissimamque deprædicat. Illæ Te Maximum Ducem proclamant: Hæc, quod est multò præstantiùs, Maximum Te Religionis Vindicem probat. Nonne vel hâc unâ partâ Victoriâ, primus Ipse appellari Christianissimus merebare?

Sed non hoc tantùm nomine præclarum adeò cognomentum, nec semel tantummodò, Iterum, ac sæpè, ac semper magìs, hoc etiam titulo, promeruisti, quòd novis avertendis erroribus, perpetuò vigilem, ac sollicitam curam impenderis, atque iisdem Regiæ Potestatis gladiô stirpitùs exscindendis, ad extremum usque spiritum adlaboraveris: Nec satìs duxeris Orthodoxam Fidem ab Hæreseos monstris vindicare, nisi etiam ab infestis Sanctitati vitiis, ac moribus expurgares.

Olim in Gallia duo potissimùm Vitia inoleverant: Effrenis blasphemandi Licentia, & singularium Certaminum furor, utrumque Religioni infensissimum, Alterum Summi Numinis Majestatem rectâ petit, traducit Nomen, Digni-

tatem-

tatemque contemnit: Alterum Vindictæ Idolum colit, eique nobilium Victimarum sanguine, & clade litat. Primum apud milites præcipuè invaluerat, quibus quædam videbatur feritatis jactantia, quâ se metuendos offerrent, si Deum ipsum procacibus linguis contemnere auderent. Alterum verò Gallicæ Nobilitati commune erat, quæ velut avitæ gloriæ insigne quoddám venditabat, libidinem ulciscendi: atque honoris culmen se assequutam opinabatur, si ad depellendam injuriam, vitam in discrimen adduceret, ac miserrimè liberalis, etiam profunderet.

Feret hos mores Religiosissimus Princeps? Vix legitimam ætatem adeptus Regale solium conscendit, statim utrumque deterrimum vitium suis petendum fulminibus censuit. Ardens, & erectus ad sacrilegam ejusmodi licentiam comprimendam, se ipso augustior, totusque ad Regiam Majestatem compositus, ex editiore loco Edictum duplex pronunciavit: Alterum, quo contumeliosa in Deum verba execratus, tanti criminis reos, à Majoribus suis damnatos, iterùm, & gravioribus pœnis addixit: Alterum, quo singularia certamina detestatus, eos, qui inirent, bonis omnibus mulctandos, mortis supplicio plectendos, atque infames perpetuò habendos decrevit.

O Regnandi primordia Christianissimo Rege

 dignis-

dignissima! Quàm bene, Religiosissime Princeps, Authoritatem Regiam statim Deo acceptam refers, totamque ad ejus vindicandas injurias, & reverentiam augendam, convertis! Qui Populorum sensus, cum viderent, hanc primam, atque præcipuam à Te susceptam Christianæ Religionis, & Charitatis curam! Hòc Te magis reverebantur, quòd non Tibi, sed Deo reverentiam præstari juberes, & cogeres. Quæ Bonorum Lætitia? Quæ gratulationes? Cum intelligerent, tam festinato beneficio, à Te servatos incolumes tot nobilissimos Cives, quos vesana illa impiorum certaminum condictio, civili bello deterior, Patriæ, ac Vitæ eripere crudeliter cæsos consueverat. Qui denique Impiorum metus, ac desperatio? Cum Te inexorabilem Vindicem experirentur, atque omnem sibi ademptam spem impunitatis viderent.

Ut compressa illicô obmutuit blasphemandi licentia! Ut statim deferbuit singularium certaminum furor! Tui reverentia effecit; ut blasphema in Deum ora improbissimi homines premerent, ut splendidis invicem odiis, ac decoro, ut putabant, sæviendi astu Nobiles temperarent. Aberrare se, ac falli tandem sensere, qui legem credebant, injurias persequi, atque ad eas vindicandas, vanâ quâdam honoris specie rapiebantur. Improbari ab omnibus

cœpit,

cœpit, quod Ipſe improbabas; Infames cenſeri, quos Ipſe cenſebas. Sua cuique Vita in pretio eſt: Nemo illam vindictæ Idolo, ſed Patriæ dumtaxat, aut Religioni immolandam exiſtimat. Nunc tandem Matres, ſuæ fœcunditatis fructu lætantur, cum ſciant; Uni Tibi, ac Religioni ſervari, quos Illæ genuerint. Tam feliciter cœptis conſtanter inſiſte, Princeps Chriſtianiſſime, aliaque, ſi quæ ſuperſunt Vitia, eâdem, ut mereris, felicitate perſequere.

Fecit Perpetuus Religionis Vindex. Quô Zelô Domus Dei ſuccenſus, Ædium ſacrarum Violatoribus ſeveriſſimè puniendis inſtabat? Hanc Unam ob cauſam iraſcebatur mitiſſimus Princeps: Et qui tàm facilè injurias, quæ ſibi inferebantur, negligere, Magnanimæ Indolis documento, conſueverat, exorari nunquam potuit, ut iis, quæ ſacris Ædibus inferebantur, ignoſceret, & aliquando inferentibus parceret. Quid memorem exterminata Veneficia, Luxum coërcitum, caſtigatam Intemperantiam, Deſidiam proſcriptam? Quid plura? Nihil à Tanto Vindice omiſſum, ut Religionem, non ab erroribus tantùm, ſed etiam à Vitiis ſinceram tueretur. Sed nihil etiam prætermiſſum, ut ejus amorem, & cultum pro viribus promoveret.

Huc illa ſpectat ſingularis Providentia in Paſtoribus optimis deligendis, eorumque au-

gendo, ditandoque Censu: quò impensiùs sanctioris Doctrinæ pabulo, Gregem Sibi creditum pascerent, atq; ad omnem virtutem informarent. Huc Templa trecenta munifico sumptu à fundamentis erecta. Huc invalidis militibus Hospitium magnificentissimè extructum. Ubi Religione magistrâ secum ipsi decertare sanctioribus præliis assuescerent, ac triumphos beatissimos, atque immortales referrent. Huc Sancyriana Domus, ubi Nobiles Puellæ ad trecentas Regiis impensis perpetuò alerentur, ac Religionis alumnæ ad ejus normam educarentur. Huc tandem assiduum illud, atque impensissimum studium, ut Regiam Domum religiosissimis moribus institueret; ac seipsum præberet omnium Virtutum exemplar: Cum sciret ad Regiæ Familiæ normam, cæteras dirigi, atque componi, omnesq; propemodum Principis moribus vivere.

Sed majore æstuabat promovendæ Religionis ardore, quàm qui posset, amplissimis licèt Regni sui limitibus contineri. In Anglia, in Hollandia, in Græcia, Syria, Persia, Armenia, India, Æthiopia, toto denique Orbe terrarum Catholicæ Religionis amorem, & cultum, quâ officiis, quâ opibus, quâ consilio, quâ Patrocinio, promovere pro viribus, atque amplificare contendit. Quàm multa hìc, ne in immensum excurram, prætereunda mihi, aut differenda

sunt,

sunt, quæ integram sibi Panegyrim, vel singula vendicarent?

Hoc tantùm dicam, Ludovice Rex Christianissime. Tanto huic, ac penè immenso, quo flagrabas, tuendæ, ac promovendæ Religionis studio, referre acceptam debes eam, quam in Terris adeptus es, felicitatem, beatissimamq; quâ frueris, atq, æternùm frueris in Cœlo: ubi Religiosissimum, ac verè Christianissimum Regem, Maximum Religionis Vindicem regnare confidimus.

Illud Tibi de Cœlo providendum superest, ut Ludovicus XV. Successor Tuus, Tuis vestigiis inhæreat, Tuas Virtutes referat, Tuis adolescat exemplis: Ut Magni Rectoris curæ respondeat: Ut Ejus etiam præclarissimas Dotes, Regiæ administrationis Prudentiam, Bellicæ Laudis præstantiam, omnium Artium scientiam, cæterasque Virtutes amplissimas sedulâ imitatione assequatur. Adeò ut, potiori, si fieri potest, jure, Ipse etiam Ludovicus XV. prædicari aliquando Heros Magnus, Rex Magnus, Vindex Magnus Religionis verè Christianissimus possit.

DIXI.

ius Hieronymus

xor Magdalena.

Krause Benjamin: Epithalamion in festi-

vitatem nuptialem Hieron. Pinocii cum

folia.